This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

P A
4444
R36
1886
MAIN

UC-NRLF
$B 64 902

YC 54605

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

Class 751w
R21

STUDIA THEOCRITEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII M. JULII A. MDCCCLXXXVI HORA V

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS RANNOW

MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

H. WINTHER, DR. PHIL.
R. ZIMMERMANN, CAND. PHIL. DD.
J. TSCHIEDEL, STUD. PHIL.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

BEROLINI 1886.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT,
SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS.

GENERAL

PA4444
R36
1886
MAIN

Adolfo Kirchhoffio

Johanni Vahleno

S.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

Studia Theocritea.

Πείρᾳ θην πάντα τελεῖται.

I.

De carminum nonnullorum temporibus.

Ut ad unumquemque fere veterum scriptorum penitus intellegendum et recte aestimandum multum valet eius vitae, rerum, aetatis cognitio, ita Theocriti quoque artem eximiam atque ingenii varietatem, quam admiramur omnes, melius etiam perspiceremus, si poetae vitam carminumque tempora accurate comperta haberemus, ut liceret nobis diiudicare, qua ratione et per quos gradus ingenium eius educatum esset et formatum. At quae de Theocriti vita rebusque tradita accepimus, adeo sunt incerta atque etiam confusa, ut hac ope destituti paene omni ad ipsa carmina interpretanda reiciamur. Quare mirum non est, quod tot viri operam suam in hoc genere posuerunt successu non pari. — Iam quod ego post alios et doctiores et argutiores ad hanc quaestionem aggredior, hoc mihi condonabitur, quia in re nondum ad liquidum redacta nonnumquam aliquis etiam imperitior veritatis vel granulum, ut ita dicam, reperire potest. Ne tamen sequar exemplum J. Hauleri[1]), qui nimia demonstrare studens Theocritea omnia, idyllia et epigrammata, genuina et spuria, singulis poetae aetatis particulis, quas statuit tres, certo ordine assignavit, carmina perpauca tractanda mihi proposui: XVI. XVII. XIV. XV.

[1]) „De Theocriti vita et carminibus.“ Friburg. Brisig. 1855. —

Atque de eo carmine, quod primo loco dixi, pauca disputare mihi licet propterea, quod nuper J. Vahlenus[1]), vir praestantissimus, accurata dissertatione statuit carmen XVI inter annos 274 et 270 Syracusis compositum esse. Plerique enim adhuc putaverant carmen scriptum esse ca. a. 265 post pugnam ad Longanum flumen commissam, qua Mamertini ab Hierone II victi sunt. At Vahlenus demonstrat huic proelio, quod non a. 265 sed cum Polybio et Livio a. 270 assignandum sit, carmen XVI antecessisse. Neque enim in eo mentio fit illius victoriae neque Hiero nominatur βασιλεύς, etsi statim post pugnam rex a Syracusanis appellatus est, neque omnino, id quod summum est, res iam peractas tantum praedicat poeta, quantum futurarum demum rerum spem conceptam profitetur. Cum autem eo tempore, quo conscriptum est encomium, Hiero esset Syracusanorum στρατηγός (vs. 80 sq.), quo honore ornatus erat inde ab a. 274 (Polyb. I, 8 sqq.), sequitur, ut Gratiarum carmen compositum sit post a. 274, ante a. 270. — Quam sententiam argumentis examinatis et carmine saepius perlecto equidem non possum non comprobare[2]).

Assensi etiam sunt Fr. Susemihlius, vir doctissimus, et C. Haeberlinus[3]) in commentatione nuperrime edita; quamquam ille tempus accuratius determinaturus carmen anno 274 aut 273 tribuit[4]). Sed ratiocinationem eius e carmine XVII petitam, quam ipse nimis incertam appellat (p. IV) et ego infra falsam demonstrare conabor, ita non probo, ut adhuc in Vahleni sententia totus acquiescam.

Contra hanc vero nuper disputavit Belochius in commentatione brevissima[5]), in qua argumenta Vahleni diligentissime ut solet

---

[1]) „Über Theocrit's Hiero," in: Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1884, 823 sqq. —

[2]) Spohnius („lectiones Theocr.", spec. primum, Lips. [1822] p. 7), quem secutus est Wuestemannus (p. 244 sq.), haud procul a veritate aberat, cum c. XVI a. 271 aut 270 editum esse putaret. — Cf. etiam Greverus „Zur Würdig., Erklär. u. Kritik d. Idyll. Th." p. 119 sq. —

[3]) „Carmina figurata graeca", Hannov. 1886, p. 56 sq.; hunc libellum inspicere per Vahleni benignitatem mihi licuit. —

[4]) „Analecta Alexandrina chronologica": ind. schol. Gryphisw. 1885/86 p. VI; sed cf. p. XVIII. —

[5]) „Zu Theocritos Hieron": Annal. Fleckeis. tom. 131, 1885, p. 366—68. —

perpensitata neque redarguit neque respexit omnia. Ad versus enim 76—87 adnotavit haec: „Ist es denn denkbar, daß diese Verse vor der Schlacht am Longanos oder überhaupt vor Beginn des ersten punischen Krieges gedichtet sind? Konnte Theocrit im Ernst hoffen, daß Hieron mit den Kräften von Syrakus allein vollbringen würde, was Pyrrhos nicht zu vollbringen vermocht hatte? Und wenn er es hoffte, wie konnte er wagen Hieron zum Kriege gegen eine Macht aufzufordern, mit der dieser damals in freundlichen Beziehungen, fast im Bündnis stand? Wie konnte er erwarten für ein solches Gedicht eine Belohnung zu erhalten? Eine größere Taktlosigkeit wäre gar nicht denkbar" (p. 367). — At potuisse hos versus ante pugnam ad Longanum flumen commissam scribi atque ante initium primi belli Punici Vahlenus demonstravit neque refutavit Belochius illis interrogatis. Neque omnino in hoc carmine Theocritus, „qui poeta erat, non politicus", ut ait recte Susemihl. (p. XVII), ausus est Hieronem ad certum bellum cum Carthaginiensibus gerendum excitare, sed quoniam Hierone auctore Syracusanorum condiciones sedari et in meliorem statum restitui coeptae sunt, inde spem cepit aliquando regem crescentibus opibus Siculos a servitute Carthaginiensium infesta liberaturum totamque insulam sub unum imperium redacturum esse[1]).

Sed his omissis inquiramus in id tempus, quo Belochius c. XVI scriptum esse vult. Dicit enim annum encomii compositi statuendum esse 263 exeuntem vel ineuntem 262[2]), quia tunc foedus modo ictum fuerit inter Hieronem et Romanos: quo ex foedere poetam speravisse fore, ut Carthaginienses ex insula expellerentur. Sic putat explicari, cur in carmine nulla mentio fiat victoriae ad Longanum ab Hierone partae (cf. Vahlen. p. 836); qui enim ibi victi fuerint Mamertini, eos tum propter Romanos ipsius Hieronis fuisse socios. — Sed praeterquam quod Susemihl. l. l. recte iudicat poetam scite rem ita potuisse instituere, „ut pristinae cladis memoria nullum odium novis sociis excitaret", alia sunt, quae sen-

---

[1]) Vahlen. p. 840: Theocrit „erkennt nur aus gegenwärtigen Anzeichen ein in der Ferne winkendes Ziel". —

[2]) Eandem fere sententiam olim Fr. Passowius protulerat; cf. eius Vermischte Schriften p. 133. —

tentiam Belochii falsam esse convincunt. Iure enim miramur, quod post a. 270 a Theocrito Hiero non βασιλεύς appellatus est (cf. Susemihl. l. l.): quae offensio non eo tollitur, quod ille ipse regio nomine abstinuisse dicitur; is enim, de quo Polybius (I, 8, 5) tradit: ἐκ τῶν πρώτων ἐπινοημάτων εὐθέως δῆλος ἦν τοῖς ὀρθῶς σκοπουμένοις μειζόνων ὀρεγόμενος ἐλπίδων ἢ κατὰ τὴν στρατηγίαν, certe non modestia motus nomen regis cavit, sed prudenti consilio, ne ipso nomine speciem tyranni prae se ferret. At inde num efficitur eius auribus displicuisse appellationem ab aliis pronuntiatam? Magis etiam mirabimur, quod Romanos Syracusanis socios ne uno quidem verbo Theocritus tetigit; neque enim facile cuiquam persuadebunt haec: „Die barbarischen Bundesgenossen des Königs dabei zu erwähnen hatte er keinen Anlaß“ (p. 368).

Universas praeterea illorum temporum res contemplati, si Belochium vera dixisse ponamus, quantas in difficultates incurrimus. Etenim postquam Romani Mamertinis petentibus succurrere constituerunt, Hiero et Carthaginienses, quibuscum societatem inierat (Polyb. I, 10 sqq.), Messanam oppidum obsidebant, donec utrique ab App. Claudio victi et recedere coacti sunt. Atque Hiero quidem, qui clade haud parva, ut videtur, accepta nocte celeriter usque ad Syracusas se receperat (Polyb. I, 11, 15), cum plurima deinceps Siciliae oppida in partes Romanorum transcedere cognosceret et apud hos esse omnem belli fortunam intellegeret (Polyb. I, 16, 4), Carthaginiensium foedere abiecto a Romanis pacem et societatem impetravit. Et de hoc Hierone modo victo Theocritum dixisse putabimus haec: ἔσσεται οὗτος ἀνήρ, ὃς ἐμεῦ κεχρήσετ' ἀοιδοῦ, ῥέξας ἢ Ἀχιλεὺς ὅσσον μέγας ἢ βαρὺς Αἴας ἐν πεδίῳ Σιμόεντος (73 sqq.)? Nonne et ex his et ex toto carmine elucet, cum id conscriberetur, Hieronem fuisse eum, a quo iure magna exspectari possent? An rex victus dicendus erat προτέροις ἴσος ἡρώεσσι (80)? Num verisimile est de eo Theocritum praedicasse: ὑψηλὸν δ' Ἱέρωνι κλέος φορέοιεν ἀοιδοί κτλ.; εἷς μὲν ἐγώ, πολλοὺς δὲ Διὸς φιλέοντι καὶ ἄλλους θυγατέρες, τοῖς πᾶσι μέλοι Σικελὴν Ἀρέθουσαν ὑμνεῖν σὺν λαοῖσι καὶ αἰχμητὰν Ἱέρωνα (98 sqq.)? Neque aptius dicta sunt a. 263/2 haec verba: ἤδη νῦν Φοίνικες — ἄκρον σφυρὸν ἐρρίγασιν· ἤδη[1])

[1]) De verbis ἤδη νῦν — ἤδη intellegendis cf. Vahlen. p. 838. —

βαστάζουσι Συρακόσιοι μέσα δοῦρα — ἐν δ' αὐτοῖς Ἱέρων ζώννυται (76—81). Neque enim tum primum aut Syracusani quassant hastas aut Hiero bellum parat, sed iam antea contra Romanos pugnaverant; et in eorum amicitiam receptus nihil fere grande de suo rex moliturus est, sed satis habebit Romanos sequi atque facere quae imperaverint.

Si igitur Belochio obtemperamus, Theocritum neque prudentiorem reddimus neque rerum publicarum peritiorem. Nam a. 263/2 in omnium rerum statu tam turbido inepte Gratias suas Musasque commendasset Hieroni multis belli negotiis curisque occupato.

Quare cum vir ille doctus Vahleni argumenta non redarguerit, ipse autem causas protulerit non probandas, certe nemo, cui Vahlenus suis argumentis persuasit, Belochii disputatione a sententia sua deducetur. —

Transeo nunc ad carmen XVII, quod inscribitur ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον. Proficiscamur a vss. 128 sqq.:

αὐτός τ' ἰφθίμα τ' ἄλοχος, τᾶς οὔτις ἀρείων
νυμφίον ἐν μεγάροισι γυνὰ περιβάλλετ' ἀγοστῷ,
ἐκ θυμοῦ στέργοισα κασίγνητόν τε πόσιν τε.

Intellegenda igitur est Arsinoe, Ptolemaei II Philadelphi uxor posterior eademque soror ex eisdem parentibus nata, quam rex post priorem Arsinoen, Lysimachi filiam, dimissam in matrimonium duxerat. Quae nuptiae quo anno fuerint, varie hinc illinc disputatum neque adhuc prorsus certo firmatum est. J. G. Droysenus[1]) quidem, vir egregius, annum statuit fere 266. At A. Wiedemannus[2]) e titulis Aegyptiis probavit Arsinoen iam a. 270 reginam fuisse. Quot vero annis ante nuptiae factae sint, ne nunc quidem constat. Vir enim ille doctus cum tribueret eas anno antecedenti (271), in hac re sic ratiocinatus est: cum Suidas s. v. Καλλίμαχος tradat Ptolemaeum Euergeten, Philadelphi et Arsinoae prioris filium, olymp. 127, 2 (271) regnare coepisse cumque scholiastes ad Theocr. 17, 128 de Philadelpho haec adnotet: . . . . τὴν οἰκείαν ἀδελφὴν Ἀρσινόην ἔγημε καὶ εἰςεποιήσατο αὐτῇ τοὺς ἐκ τῆς προτέρας Ἀρσινόης

[1]) Geschichte des Hellenismus [2] III, 1, p. 268 adn. 3. —

[2]) Mus. rhen. 38, 1883, p. 384 sqq.: „Zur Chronologie der Arsinoe Philadelphos.“ —

γεννηθέντας (αὐτῷ) παῖδας· αὕτη γὰρ ἡ φιλάδελφος ἄτεκνος ἀπέθανεν (Ambros. 222), inde effici nuptias fuisse a. 271, quoniam verisimile sit eodem anno, quo pater uxorem alteram duxerit, Euergeten et in adoptionem ascitum et regni socium assumptum esse.

At si ponimus eum una cum Arsinoae nuptiis adoptatum esse, quamquam ne id quidem certum est, non sequitur, ut eodem anno regio nomine ornatus aut ad regnandum admissus sit, quia huic muneri tenera aetas eius obstare poterat. Deinde, quod gravius est, Suidae verbis sententia illa non probatur: ea enim cum e memoria optimorum codicum ita de Callimacho narrent: καὶ παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος Πτολεμαίου, ὀλυμπιάδος δὲ ρκζ', ἧς κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ὁ Εὐεργέτης Πτολεμαῖος ἤρξατο τῆς βασιλείας, tantos scrupulos viris doctis iure iniecerunt, ut e. c. Linckeus[1]) lacunam ante ὀλυμπ. statueret, Meinekius Call. ed. p. XV verba ὀλυμπ. — βασιλείας imperiti interpolatoris additamentum esse suspicaretur, alii velut Bernhardyus in edit., Heckerus comment. Callim. p. 17 sq., Merkelius Apoll. Rhod. (1854) p. XI ipsa verba vitium contraxisse putarent, quorum hic numeris ρκζ' nimis incerte mutatis intellegi volebat olympiadem 133; Couatus[2]) denique solos numeros ipse quoque confusos esse iudicavit. Quare nisi aliis subsidiis hic locus aut incorruptus demonstrabitur aut recte emendabitur, non licebit eo uti testimonio (cf. Droysen. p. 275 adn. 1). Omnino qui legit verba παρέτεινε μέχρι τοῦ Εὐεργέτου, in mentem revocabit non id tempus, quo ille successor regni designatus, sed quo post patris mortem rex Aegypti factus est; neque enim res solent ita narrari, ut ad firmandum Callimachi vitam usque ad tempora Euergetae productam esse nominetur olympias 127, 2, a quo tempore pater Philadelphus per quinque et viginti annos regnum tenuit; firmaretur potius addito eo anno, quo Ptolemaeus III patre mortuo regnum iniit (247/6), ad quod tempus verba Suidae ἤρξατο τῆς βασιλείας videntur melius quadrare.

Itaque cum a. 271 nuptias Arsinoae fuisse adhuc certum non sit, Fr. Koeppius[3]), qui et ipse Wiedemanni ratiocinationem addubitat

---

[1]) „De Callim. vita et scriptis“, diss. Hal. 1862, p. 5. —

[2]) „La poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolemées,“ Paris. 1882, p. 42. —

[3]) Mus. rhen. 39, 1884, p. 209 sqq. —

(l. l. p. 211 adn. 1), cum Buechelero[1]), viro doctissimo, aliis[2]) a. 276 nuptias illas fuisse statuit. Quod quamquam ne ipsum quidem argumentis firmatur indubiis, tamen nos quidem hanc rem nunc non diutius possumus persequi, praesertim cum ad eam disceptandam opus sit studiis aegyptologorum. Sed sive annus 276 verus est sive falsus, certe infra a. 270 non iam licebit terminum nuptiarum statuere post Wiedemannum. Iam quod dubii de earum aetate haeret, num id valeat ad tempus Theocritei encomii definiendum perscrutemur.

Atque O. Hempelius[3]), praeterquam quod cum Droyseno ca. a. 266 Arsinoen a fratre ductam esse putat, haec professus est: „fit verisimillimum, carmen de quo agimus, cum Theocritus nuptias illas summopere celebret (cf. vss. 129. sqq.) et Philadelphum appellet νυμφίον (vs. 130.), brevi post illum annum compositum esse. Immo ne hoc quidem omni veritatis specie carere videri potest, hoc carmen ad ipsos dies festos, quibus celebratae sunt nuptiae conscriptum esse.“ — At caret omni veritatis specie ad ipsas nuptias compositum esse id carmen, in cuius statim initio legimus (3 sq.): ἀνδρῶν δ᾽αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω καὶ πύματος καὶ μέσσος, et vs. 7 sq.: αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν ὑμνήσαιμ᾽, et vs. 11 sq.: τί πρῶτον καταλέξω; ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν, οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων. Cur nulla mentio fit uxoris Arsinoae? Nam exspectatur hoc, si ponimus nuptiis celebrandis inservivisse hoc carmen. At profecto id noluit poeta, qui Ptolemaeum sibi cantandum proponens in carminis prooemio hoc argumentum disertis verbis exprimit. Deinde usque ad vs. 127 summis laudibus tollit solum regem, de sorore ne voculam quidem addit. Quod autem vs. 128 adnectit ἰφθίμα τ᾽ ἄλοχος κτλ., fecit hoc non tam Arsinoae celebrandae causa, quam quod in carmine ad regis laudes composito ne reginam quidem plane putabat esse praetermittendam. Nam in hoc encomio Theocritus verum Alexandrinorum poetam se ostendit neque prorsus abest a culpa adulandi. — Quid vero laudis Arsinoae

---

[1]) Mus. rhen. 30, 1875, p. 56 („de bucolicorum Graecorum aliquot carminibus“). —

[2]) Cf. J. Franz. C. I. Gr. III p. 288. —

[3]) „Quaestiones Theocriteae“, diss. Kiel. 1881, p. 76. —

tribuit? Nihil nisi id, quod poetarum ritu multis mulieribus tribui potest: ἰφθίμα τ' ἄλοχος, τᾶς οὔτις ἀρείων νυμφίον ἐν μεγάροισι γυνὰ περιβάλλετ' ἀγοστῷ; nam verba quae sequuntur ἐκ θυμοῦ στέργοισα κασίγνητόν τε πόσιν τε, melius erat omitti. Etenim matrimonium cum gemina sorore initum etsi non insuetum erat Aegyptiis, tamen Graecis Macedonibusque detestabile videbatur ac paene incestum (cf. Droysen. p. 265 sqq.). Quare dolendum est, quod Theocritus, poeta egregius, tanta adulatione usus sit, ut tamquam excusandi gratia cum illo matrimonio compararet caelestium ἱερὸν γάμον. — Denique paucis versibus narratione de Iove et Iunone confecta toti carmini finem imponit his verbis (135 sqq.): χαῖρε ἄναξ Πτολεμαῖε· σέθεν δ' ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων μνάσομαι ἡμιθέων κτλ. Quis hic non requirit Arsinoae mentionem, si quidem de nuptiis celebrandis agitur? At nonne haec verba sola arguunt falsam esse Hempelii opinionem? Iam cum viderimus versibus 129 sqq. matrimonium regis non „summopere" celebrari, ut putat vir ille doctus, ne id quidem ei concedemus inde effici, ut carmen compositum sit „brevi post illum annum", quo nuptiae fuere. Potius hi versus ei sunt, ut etiam longiore spatio post scribi potuerint[1]). Nam quod Philadelphus appellatur νυμφίος, Hesychius audiendus est, qui haec dicit: νυμφίον καὶ νύμφην πάντα τὸν γήμαντα καὶ παιδοποιησάμενον, κἂν πολυχρόνιος ᾖ. Apud Theocritum legitur id vocabulum praeter hunc locum in solo c. 22, 154 sq., ubi νυμφίοι intelleguntur sane sponsi. Eadem significatio exstat vs. 179, si vere versus est Theocriteus. At de marito ponitur apud Sophoclem in Oed. tyr. 1358: οὐδὲ νυμφίος βροτοῖς ἐκλήθην ὧν ἔφυν ἄπο, et apud Aeschylum in Sept. 756 sq.: παράνοια συνᾶγε νυμφίους φρενώλεις (cf. etiam Hom. η 65 etc.).

His causis iam refutatis apparet, quantum valeat haec Koeppii sententia: „Es ist kaum denkbar, daß Theocrit seine Huldigung (vs. 131 ff.) lange Zeit nach der Vermählung dargebracht habe" (l. l. p. 210). Idem hoc quoque addit: quoniam poeta de regis parentibus, imprimis de Berenice matre in dearum numerum sublata verba faciat paene plura quam de ipso Ptolemaeo, hac quoque ar-

[1]) Falso Haeberlin. (l. l.) quoque statim post nuptias carmen scriptum esse vult. Mecum consentit E. Hillerus, vir doctissimus, in recensione C. Brinkeri dissertationis: Wochenschr. f. klass. Philol. II, 1885, nr. 41. —

gumentatione demonstrari carmen quam proxime accedere ad a. 276 (p. 211). Quo argumentandi modo numquam mihi persuadebitur. Primum enim de parentibus (13—52) verba fiunt non paene plura quam de Philadelpho (53—134). Deinde cur non quovis tempore poeta carmen suum ita potuerit instituere, ut exordium faceret a parentibus regis collaudandis, ego non video. Immo fecit hoc propterea, ut demonstraret Ptolemaeorum genus de ipso Hercule deduci et parentes Philadelphi inter deos numerari. Quid? nonne inde quoque multum laudis redundabat in regem, quem celebraturus erat? Et velim attendas de ipsis rebus Soteris, quamvis fuerint et magnae et multae, nihil fere afferri atque in Berenice matre maxime praedicari divinam potestatem.

At Koeppius opponit versum 104 sq.: ᾧ ἐπίπαγχυ μέλει πατρώια πάντα φυλάσσειν οἵ' ἀγαθῷ βασιλῆι, τὰ δὲ κτεατίζεται αὐτός. Haec enim putat potuisse de eo solo dici, „der erst seit wenigen Jahren das väterliche Erbe angetreten hat“ (p. 211). At iniuria pressit verba ex ipso contextu sumpta: poeta dicit inde a vs. 97 a nullis hostibus Aegyptum perturbari, quia regnat Ptolemaeus, rex artis bellicae haud imperitus (ἐπιστάμενος δόρυ πάλλειν vs. 103), et imperii fines a patre relictos defendit atque etiam expugnatis aliis propagat. Quare ne Koeppio quidem prospere successit id, quod voluit docere, carmen scriptum esse statim post a. 276.

Una restat denique causa, quam primum a Buechelero excogitatam (l. l. p. 56) Koeppius amplexus est: etenim cum in regni provinciis enumeratis Cyprus insula omissa sit (vss. 86 sqq.) et Pausanias (I, 7, 1) de Philadelpho narret: ἀπέκτεινε δὲ καὶ ἄλλον ἀδελφὸν γεγονότα ἐξ Εὐρυδίκης, Κυπρίους ἀφιστάντα αἰσθόμενος (Droysen. p. 319 adn. 1), uterque vir doctus arbitratur ipso illius defectionis tempore carmen XVII esse conscriptum. At quam inscite tum Theocritus insulam omisisset quasi regi iam ereptam, Vahlenus in scholis recte monuit. Idem, quod Niebuhrio[1]), viro admiratione nostra dignissimo, versus videbatur excidisse, quo Cypri mentio facta erat, hoc si non certum, at probabile esse docuit, imprimis cum particula ἐπεί (90) non prorsus apte videatur posita esse.

Sed faciamus paulisper cum eis, qui carmen ipsi deficientis Cypri tempori adscribunt, quid tandem proficimus? Nihil, quoniam

[1]) Kl. hist. u. philol. Schriften I 290. —

quando Cyprus defecerit et num omnino ad defectionem re vera deducta sit, plane nescimus; attendas potius in Pausaniae verbis Κυπρίους ἀφιστάντα αἰσθόμενος et praesentis temporis participium et vocem αἰσθόμενος.

Nulla igitur causa adhuc probatum est natalem carminis XVII subsequi annum 276. Ponamus tamen nuptias ca. a. 276 fuisse et statim post encomium compositum esse, a. 275 vel 274 vel paulo etiam posterius. Iam cum supra statuerim carmen XVI inter 274 et 270 scriptum esse, sequitur, ut c. XVII praecesserit alteri. Et arbitrantur hoc cum alii, velut Wuestemannus (p. 259 sq.), A. Holmius[1]), C. Brinkerus[2]), tum omnes fere, qui usque ad annum 276 progrediuntur, ut Koeppius et Buechelerus, cum in commentatione sua praeclara dicit: „Gratiis quas firmata aetate ac fama poeta composuit posterius inter Theocritea carmen demonstrari nequit“ (p. 55). — In hanc igitur sententiam nunc inquiramus.

Carminis XVI vs. 13 sqq. queritur poeta haec: τίς τῶν νῦν τοιόσδε; τίς εὖ εἰπόντα φιλήσει; οὐκ οἶδ'. οὐ γὰρ ἔτ' ἄνδρες ἐπ' ἔργμασιν ὡς πάρος ἐσθλοῖς αἰνεῖσθαι σπεύδοντι; conferamus 17, 4: ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν; 7 sq.: αὐτὰρ ἐγὼ Πτολεμαῖον ἐπιστάμενος καλὰ εἰπεῖν ὑμνήσαιμ'; 11 sq.: τί πρῶτον καταλέξω; ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν, οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων (cf. 14, 61 sq. 15, 46 sq.). — Quid? Eratne falsus Theocritus praedicans Ptolemaeum τὸν ἄριστον? — Tum 16, 22 sq. de divitiis ingentibus cumulatis dicit: δαιμόνιοι, τί δὲ κέρδος ὁ μυρίος ἔνθοδι χρυσὸς κείμενος; οὐχ ἅδε πλούτου φρονέουσιν ὄνασις. Quibuscum conferas haec 17, 116 sq. dicta: οὐ μὰν ἀχρεῖός γε δόμῳ ἐνὶ πίονι χρυσὸς μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ κέχυται μογεόντων. — Iam in c. XVI exponitur, quomodo divites oporteat prudenter uti opibus suis; primum alios beneficiis afficiant: vs. 25 sq. πολλοὺς δ' εὖ ἔρξαι παῶν, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλων ἀνθρώπων; et vs. 27 sq. μηδὲ ξεινοδόκον κακὸν ἔμμεναι, ἀλλὰ τραπέζῃ μειλίξαντ' ἀποπέμψαι, ἐπὴν ἐθέλωντι νέεσθαι. Has autem virtutes vix iam esse cuiquam mortalium quo iure Theocritus dixit, si quidem antea de Ptolemaeo eas praedicaverat? Nam 17, 110 sq.

---

[1]) „Geschichte Siciliens im Alterthum“ II 303. —

[2]) „De Th. vita carminibusque subditiciis“, diss. Rostoch. 1884, p. 6 sqq. —

legimus: πολλὸν (scl. χρυσὸν) δ' ἰφθίμοισι δεδώρηται βασιλεῦσι, πολλὸν δὲ πτολέεσσι, πολὺν δ' ἀγαθοῖσιν ἑταίροις (cf. 14, 63). — Deinde dei donandi sunt vel sacris vel donis: 16, 26 αἰεὶ δὲ θεοῖς ἐπιβώμια ῥέζειν; huic quoque officio Ptolemaeus satisfecit: 17, 108 sq. ἀλλὰ πολὺν (scl.χρυσὸν) μὲν ἔχοντι θεῶν ἐρικυδέες οἶκοι αἰὲν ἀπαρχομένοιο σὺν ἄλλοισιν γεράεσσι, et 121 sqq. μοῦνος δὲ — ματρὶ φίλᾳ καὶ πατρὶ θυώδεας εἵσατο ναούς, et 126 sq. πολλὰ δὲ πιανθέντα βοῶν ὅγε μηρία καίει μηοὶ περιπλομένοισιν ἐρευθομένων ἐπὶ βώμων. — Hoc vero maxime Theocriti, cum sit poeta, interest, quod conqueritur homines avaritia superatos iam non magni aestimare poetas neque esse eis munificos: 16, 15 sqq.; 19 sq. θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς. τίς δέ κεν ἄλλου ἀκούσαι; ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος· οὗτος ἀοιδῶν λῷστος, ὃς ἐξ ἐμεῦ οἴσεται οὐδέν; et 24 ἀλλὰ τὸ μὲν ψυχᾷ, τὸ δὲ καί τινι δοῦναι ἀοιδῶν[1]); et 29 Μουσάων δὲ μάλιστα τίειν ἱεροὺς ὑποφήτας. Quae hic desiderat poeta, ea de ipso Ptolemaeo maxime praedicat; nam 17, 112 sqq. legimus: οὐδὲ Διωνύσου τις ἀνὴρ ἱεροὺς κατ' ἀγῶνας ἵκετ' ἐπιστάμενος λιγυρὰν ἀναμέλψαι ἀοιδάν, ᾧ οὐ δωτίναν ἀντάξιον ὤπασε τέχνας. Μουσάων δ' ὑποφῆται ἀείδοντι Πτολεμαῖον ἀντ' εὐεργεσίης· τί δὲ κάλλιον ἀνδρί κεν εἴη ὀλβίῳ ἢ κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἀρέσθαι (cf. 14, 61: φιλόμουσος).

Num igitur ulla ratione verisimile est tantas de Ptolemaei munificentia laudes falso et modo blandiendi causa praedicatas esse? An non aliunde quoque satis constat, quanta benevolentia fuerit Philadelphus, quanto poetarum studio, quanto denique animo praeditus ad eos vere aestimandos atque intellegendos? Et rege tantopere collaudato Theocritum num cum A. Fritzschio[2]) putabimus postea in c. XVI haec de Ptolemaeo dicere ausum esse: ἀλλ' ἶσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾠόνι κύματ' ἀμιθρεῖν, ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ, ἢ ὕδατι νίζειν θολερὰν διαειδέι πλίνθον, καὶ φιλοκερδείῃ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν (60 sqq.)? Quomodo omnes hae difficultates probabili modo explicantur, si putamus carmen XVI post XVII esse compositum? — Praeterea in universum quoque inter carmen decimum sextum et septimum multum interest. Cum enim hoc poeta conscriberet, necesse est ponere eum iam penitus

---

[1]) Sic traditur; cf. Vahlen. l. l. p. 827 adn. 2. —

[2]) „De poetis Graec. bucol.“, Gissae 1844, p. 7. —

cognitum habuisse regem Philadelphum; neque enim ei se commendat aut praemium tectis verbis ab eo petit; immo cum scriberet Μουσάων δ' ὑποφῆται ἀείδοντι Πτολεμαῖον ἀντ' εὐεργεσίης (115 sq.), fortasse et ipse expertus erat hanc εὐεργεσίην (cf. Haeberlin. p. 56). Quare ut iterum dicam, quod puto tenendum esse, num facile Theocrito imputabimus tantam adulandi, paene dixi mentiendi artem, ut illa tam multa praedicaret de rege moribus non per longioris temporis spatium compertis? — Carminis autem XVI argumentum apparet non tam versari in collaudatione Hieronis quam in ipsius poetae commendatione. Certe non contigerat Theocrito nescio apud quem vel apud quos sive in Sicilia sive alicubi[1]) ea, quam carminibus petiverat gratiam; potius spes eum fefellerat, idque saepius; quare queritur: τίς γὰρ τῶν ὁπόσοι γλαυκὰν ναίουσιν ὑπ' ἀῶ ἡμετέρας Χάριτας πετάσας ὑποδέξεται οἴκῳ ἀσπασίως οὐδ' αὔτις ἀδωρήτους ἀποπέμψαι; κτλ. (5 sqq.). Haec verba num possunt dici de Ptolemaeo, quasi poeta carmine XVII studuisset illi Musas suas commendare, de eo Ptolemaeo, de quo 17, 135 sqq. scripserat: σέθεν δ' ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων μνάσομαι ἡμιθέων· δοκέω δ' ἔπος οὐκ ἀπόβλητον φθέγξομαι ἐσσομένοις?

At Holmium audientes negabimus eis, quae poeta in c. XVI conqueritur, tantam vim impertiendam esse aut animum eius de spe decepta re vera tantopere fuisse indignatum. Vir enim doctus haec profitetur: „Das Gedicht ist von einer eigenthümlichen Keckheit. Es ist eine Ausführung der Frage: Wer will mir etwas schenken? Eine solche Keckheit wird eben nur durch den frischen Ton, in dem sie vorgebracht wird, den halben Scherz, der damit verbunden ist, erträglich“ (l. l. p. 314). Mirum est hoc iudicium. Quis enim, si saepius carmen et imprimis ea perlegerit, quae antea exscripsi, in his audacter dicta et vel aliquid ludi sentiet? Quae poeta conqueritur, quae sperat, ea ex intimo sensu effluxisse nonne apparet e versibus amoenissimis 82 sqq., in quibus comprehendimus Theocriti animi gravitatem, dulcissimum desiderium pacis, patriae amorem ardentissimum? Non apparet e versibus 101 sqq., ut alia omittam? Et in hoc carmine, quod tam plenum est et gravitatis et granditatis, usus est audacia et ludo? Hoc carmine nihil aliud voluit nisi hoc: „Wer will mir etwas schenken?“

---

[1]) Cf. Vahlen. p. 842; Haeberlin. p. 56 adn. 10. —

Sed videor mihi probavisse carmen XVI scriptum esse ante c. XVII[1]). Quae igitur in carmine illo dicit: δίζημαι δ' ὅτινι θνατῶν κεχαρισμένος ἔνθω σὺν Μοίσαις (68 sq.), ab Hierone frustra petivit, impetravit a Ptolemaeo[2]).

Itaque cum carmen XVI compositum sit inter 274 et 270, non ultra a. 270 licebit ponere terminum, post quem scriptum sit c. XVII; nam etiamsi a. 274 Theocritus carmen XVI composuerit, non verisimile est eum spe sua in Sicilia deiectum Ptolemaeum statim encomio adiisse; potius paucos annos carmen inter decimum sextum et septimum intercessisse facile putabimus.

Videmus nunc, sive a. 276 nuptiae Arsinoae fuerunt, sive postea, cum post a. 270 eas non fuisse satis constet, ab illarum aetate non omnia pendere ad carminis XVII tempus indagandum. — Quodsi postea fortasse eruamus carmen XVII propius accedere ad a. 270 et si verum sit nuptias fuisse a. 271 vel 270, inde sane efficeretur, ut carmen statim post illas fieret; at efficeretur id causis aliis, non eis, quas supra refutavi inanes. —

Carmen XVII compositum est post a. 270. Altera quaestio est, quo anno vel, si minus hoc scire possumus, ante quem annum scriptum sit. E versibus enim 53 sqq., in quibus de Philadelpho in lucem edito agitur et imprimis de Co insula, in qua ille natus est, nonnulli viri docti velut Buechelerus concluserunt c. XVII non posse compositum esse post pugnam illam Coam, qua classi Ptolemaei ab Antigono Gonata cladem non parvam inlatam esse constat (Droysen. p. 241 sq. 271 sqq.). Et sunt meo sensu non prorsus falsi, qui ita iudicant. Dicit enim vs. 58 sq.: καί σε Κόως ἀτίταλλε βρέφος νεογιλλὸν ἐόντα δεξαμένα παρὰ ματρός, ὅτε πρώταν ἴδες ἀῶ; et 64 sq.: Κόως δ' ὀλόλυξεν ἰδοῖσα, φᾶ δὲ καθαπτομένα βρέφεος χείρεσσι φίλησιν; iam sequuntur vota pro Philadelpho facta: ὄλβιε κοῦρε γένοιο· τίοις δέ με τόσσον, ὅσονπερ Δᾶλον ἐτίμασεν κυανάμπυκα Φοῖβος Ἀπόλλων. Certe vix credibile est paulo post cladem acceptam haec poetam locutum esse in carmine, in quo omnia inserviant

---

[1]) Recte de ordine amborum carminum iudicant Susemihl. p. XVII et Haeberlin. p. 56. —

[2]) Cf. Vahlen. p. 842; aeque iudicat O. Ribbeckius, vir doctissimus: Preuss. Jahrb. 32, 1873, p. 81 sqq. —

Ptolemaeo laudando, caute omnia omittantur, quae vel aliquid laedere possint regis animum. Nam utut de hac pugna iudicatur, de qua perpauca comperta habemus, etiamsi eam non multum valuisse ad Philadelphi imperium concedamus, tamen, si statim post carmen composuisset, vix tot verbis insulae mentionem fecisset, praesertim cum ne opus quidem ei esset atque facile res aliter posset institui. Quam sententiam confirmant maxime verba τίοις δέ με τόσσον κτλ., in quibus putaverim aliquid inesse „audaciae", si tantum honorem ea insula petat, cuius nomen si non infestum auribus Ptolemaei fuit, at aliquamdiu certe ingratum. Idem cadit in vs. 71 et 72: ὣς ἄρα νᾶσος ἔειπεν. ὁ δ' ὑψόθεν ἔκλαγε φωνᾷ ἐς τρὶς ἀπὸ νεφέων μέγας αἰετὸς αἴσιος ὄρνις. Hoc igitur scite non institutum erat a Theocrito statim post Coam pugnam; quamquam aliquot annis post memoria cladis paulatim obliterata non nego fieri potuisse, ut de insula res ita narraret, ut narravit.

Quo vero anno pugna commissa sit, res est adhuc obscura et addubitata. Droysenus quidem, quocum plerique faciunt, annum ponit 266 (p. 244 adn. 4); neque caret id argumentis; Hempelius (p. 75) putat fuisse eam aestate anni 263, etsi eius argumenta non certiora sunt quam Droyseni. Ab hoc tamen temporis discrimine in nostra causa non multum pendere postea apparebit.

Incidit autem pugna illa in bellum Chremonideum, cuius cum tempore Droysenus coniunxit primum bellum Syrium (p. 276), quod statuit gestum esse inter a. 266 et 263. Quodsi hoc bellum decem annis ante fuisse Koeppius e tempore carminis Theocritei concludit (p. 211 sq.), in errore versatur. Nam quod dicit versum 104 sq. pertinere ad eum, „der zum ersten Male das Schwert zieht, um zu zeigen, daß er nicht nur das ererbte Reich zu schützen weiß, sondern daß er es auch als Eroberer zu mehren vermag", eo ipso tempore, quo carmen compositum est, primum regem in bellum proficisci ne ex uno quidem verbo concludi potest. De illis enim versibus aliter supra iudicavi (p. 9). Et quod summum est, iam refutavi Koeppium carmen anno 276 tribuentem. Omnino cavendum est, ne tempora rerum gestarum obscura definiantur carmine, cuius tempus ipsum quoque coniecturis demum statui potest. Potius ratio contraria instituenda est. Idem vir doctus cum deinde statuit bellum cum Maga, rege Cyrenensium,

quod Droyseno auctore (p. 270 adn. 2) inter a. 277 et 266 intercidit, iam ca. a. 275 a Ptolemaeo gestum esse, ne id quidem pro certo affirmare potest, quamquam non certius Wiedemannus (p. 390 sqq.) suspicatur brevi ante a. 265 illud bellum fuisse. Sed etiamsi Koeppius de hac re recte iudicaverit — neque enim nego Magae seditionem potuisse ca. a. 275 fieri[1]) —, non sequitur, ut statim secutum sit bellum Syrium, nisi forte Pausaniae narratio de his rebus brevissima (I, 7, 2. 3) nimis premitur. — Videtur igitur carmen adhuc compositum esse ante a. 266 vel 263, certe non statim post.

At fortasse, id quod iam tetigimus, pluribus annis post cladem Coam scriptum est. Sic enim posuerunt Droysenus, Haulerus, alii. — Atque Droysenus profectus est a versibus 86 sqq. Poeta postquam ingentem oppidorum numerum mira ratione computavit, pergit his, quos exscribam versus:

καὶ μὴν Φοινίκας ἀποτέμνεται Ἀρραβίας τε
καὶ Συρίας Λιβύας τε κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων,
Παμφύλοισί τε πᾶσι καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσι
σαμαίνει Λυκίοις τε φιλοπτολέμοισί τε Καρσί
καὶ νάσοις Κυκλάδεσσιν, ἐπεί οἱ νᾶες ἄρισται
πόντον ἐπιπλώοντι.

Ex his igitur Droysenus concludit carmen laudibus Ptolemaei dicatum esse bello Syrio secundo, quod ponit inter a. 258 et 248, atque eo huius belli momento, „da dessen glänzendste Erfolge schon gewonnen waren“ (p. 318). Sed de hoc bello magnae moventur dubitationes, nam ipse Droysenus profitetur: „gründliche Forscher haben glauben können, der Krieg sei chimärisch“ (cf. etiam Haeberlin. p. 56 adn. 11). Deinde quod adnotat: „diese Angabe (scl. carminis compositi) beruht darauf, daß nur im Lauf dieses Krieges Ptolemaios die Landschaften besaß, welche Theokrit aufzählt; im Frieden trat er mehrere ab“, hoc verum esse a nullo adhuc demonstratum est; immo verba collaudantis poetae premuntur, quasi scriptor esset rerum gestarum. Vocem enim ἀποτέμνεται (86) non de expugnando intellegendam esse Hempelius recte statuit (p. 78 sq.) et plenius

[1]) Cf. U. de Wilamowitz-Möllendorff.: „Antigonus von Karystos“, Berol. 1881, p. 219 adn. 40; Haeberlin. p. 56 adn. 11. —

id docuit Vahlenus in scholis. Qui enim probabile est primum uno eodemque tempore regem dicionis suae facere partes Phoenices et Arabiae et Syriae et Libyae et Aethiopiae, deinde his terris expugnandis adiungi mera particula τέ illos fines, qui iam antea sub eius imperio erant? Vocabulum igitur ἀποτέμνεται non positum est ut e. c. Isocr. 3, 34. 5, 122. Apoll. Rhod. 2, 796, sed significat hoc loco: „possidet partes" (er schneidet sich Teile ab, h. e. semper)[1]). Huic autem opponitur illud πᾶσι (88): Phoenices, Arabiae, Syriae, Libyae, Aethiopiae partes possidet, at Pamphyliam totam regit etc. Itaque quo tempore carmen scriptum est, omnium illarum provinciarum aliae totae, aliae in parte sub imperio Philadelphi erant.

Omnino mihi quidem videtur carmen non posse compositum esse per bellum aliquod; quae enim dicit: πολλοὶ δ' ἱππῆες, πολλοὶ δέ μιν ἀσπιδιῶται χαλκῷ μαρμαίροντι σεσαγμένοι ἀμφαγέρονται (93 sq.), in illa opum enumeratione non interpretanda sunt de copiis in ipso bello iam regem stipantibus. — Potius totum carmen beatas pacis condiciones spirat adeo, ut non satis possim mirari, quod viri docti et imprimis Droysenus, vir tam ingeniosus et ipse vena poetica praeditus larga, carmen ad belli aetatem transtulerint. Quis enim putat de rege bellandi curis occupato dixisse Theocritum hos versus: λαοὶ δ' ἔργα περιστέλλουσιν ἕκηλοι· οὐ γάρ τις δηίων πολυκήτεα Νεῖλον ὑπερβὰς πεζὸς ἐν ἀλλοτρίαισι βοὰν ἐστάσατο κώμαις, οὐδέ τις αἰγιαλόνδε θοᾶς ἐξάλατο[2]) ναὸς θωρηχθεὶς ἐπὶ βουσὶν ἀνάρσιος Αἰγυπτίῃσι. τοῖος ἀνὴρ πλατέεσσιν ἐνίδρυται πεδίοισι (97 sqq.)? Et quod gravissimum puto, si in ipsis belli periculis vel rex ipse versaretur vel eius exercitus, certe hoc Theocritus votis prosecutus esset precatus, ut deorum auxilio ex hoc quoque discrimine prospere Philadelphus evaderet, velut similiter preces facit 16, 82 sqq. At talia ne verbo quidem tangit neque in totius carminis exitu regem iubet χαίρειν bellantem.

---

[1]) Iam a. 1878 Couatus recte verterat: „il possède une partie de la Phénicie" etc.; cf. eius librum: la poésie alexandrine p. 211. — Wuestemann. p. 270 ad vs. 86; Hauler. p. 19; Haeberlin. p. 56 adn. 11. Plane errat Brinker. p. 6. —

[2]) Formae ἐστάσατο et ἐξάλατο aoristi sunt qui nominantur gnomici. —

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

Quae cum ita sint, non errabimus, si negamus belli temporibus carmen deberi. Provinciae autem, quae inde a vs. 86 enumerantur, quo quaeque tempore sub imperium Ptolemaei venerint, non constat. Nec tamen videtur falsum esse, quod Hempelius (p. 78 sqq.) demonstrare conatur circiter a. 266 omnes eas regis fuisse. Atque adeo quominus iam ante a. 266 eius fuerint, quid impediat in hac omnium rerum temporumque obscuritate non video. Neque quidquam inde concludendum est, quod poeta Cyrenas, quippe quas fortasse nomine Λιβύας (87) amplexus sit, noluerit nominatim enumerare. Ceterum non cogimur arbitrari omnium provinciarum illarum regem partes tenuisse magnas, quia Theocritum nimio studio laudandi ductum res amplificasse evincere possumus his: θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ (91 sq.): in quibus verbis vocabulum πᾶσα propter sermonis usum refertur etiam ad αἶα.

Quare cum et statuerimus pacis tempore carmen scriptum esse et ignoremus, a quo anno omnes provinciae illae Ptolemaei fuerint, inde nihil proficimus ad carminis tempus accuratius determinandum, nisi id quod iam intellegitur, sive proelium Coum commissum est a. 266 sive 263, carmen propter bellum Syrium (266—63) compositum esse aut inter a. 270 et 266 aut longioris temporis spatio post Coam cladem. Sub finem vero vitae Philadelphi encomium scriptum non est, cum ob alia tum propterea quod non omnes provincias easdem Euergeten a patre accepisse titulus Adulitanus[1]) (vs. 5 sqq.) testatur: παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Λυκίας καὶ Καρίας καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων.

Jam cum ex ipsis carminis verbis non possimus prorsus certo eruere, utrum ante a. 266 scriptum sit an multo post, silentio aliquo uti fortasse nobis licet. Buechelerus enim censet (p. 55. 57) scripti huius carminis tempore Ptolemaeum non adoptari a sorore iussisse uxoris prioris liberos, propterea quod versus 43 sq. (ἀστόργου δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος αἰεί, ῥηίδιοι δὲ γοναί, τέκνα δ' οὐ ποτεοικότα πατρί) ad Arsinoen, priorem regis uxorem, spectent, ut Haulerus quoque (p. 24) suspicatus erat. Illum secutus Suse-

[1]) C. I. Gr. III p. 508 sqq. —

mihlius (p. IV), cum Wiedemanni rationibus usus Euergeten putet adoptatum esse a. 271 vel 270, priusquam sermo esset de hac adoptione, i. e. inter a. 272 et 270 (p. XVIII) carmen conditum esse ponit. Sed utraque causa, qua nititur, multum abest, ut valeat ad sententiam illam probandam. Primum enim quid de Wiedemanni ratiocinatione e Suidae testimonio ducta iudicandum sit, supra docere conatus sum. Deinde qui tandem verisimile est in hoc encomio Theocritum ausum esse regem monere prioris matrimonii ingrati, e quo tum liberi supererant? Quare licet aliam voluerit perstringi, velut Apamam, Magae viduam, Droysenus (p. 346 adn. 2) et Hillerus (ad vs. 44), Eurydicen, Soteris uxorem priorem, Hempelius (p. 95 sqq.) et Koeppius (p. 209) intellexerunt, quamquam equidem dubito, an re vera quidquam ludibrii insit in his versibus, certe omnium inficetissime de Arsinoe cogitari iussisset, ut omittam, quam incerta ea sint, quae nos scire non possumus.

Tamen etsi argumentationem ipsam non probo, Buecheleri opinionem a vero non prorsus aberrasse putaverim. Cum enim in inscriptionibus publicis a. 266 et 264 factis Euergeten dilucide regni socium nominari Wiedemannus doceat (p. 386 sqq.) neque eius in c. XVII ulla mentio fiat, verisimile est eo tempore id scriptum esse, quo Euergetes ad regnandum aut paulo ante aut omnino non ascitus erat. Namque Theocritus cum omnia congerat, quibus Philadelphi laudes cumulare sibi videtur, cumque et genus regis memoret et matrimonium, si Euergetes partes regnandi iam habuisset, fortasse id non omisisset, sed praedicasset vel tali modo: Philadelphum optime omnia administrare, quin etiam stirpi propagandae atque aptissimo successori prospexisse, ne quando regnum orbum esset patre et tutore.

Quibus de causis cum statuo carmen XVII non compositum esse multo demum post a. 266, sed potius inter a. 270 et 266, videor mihi id statuere, quod si non certum at verisimile sit. Cui sententiae quod repugnet nihil aut in ipso carmine inest aut in memoria rerum illis temporibus gestarum. Et cum vita poetae omnia conveniunt optime. Neque enim probabile est Theocritum, postquam ca. a. 270 Syracusis relictis Alexandriam se contulit, qua erat iam tum aetate et fama, multos annos consumpsisse ad Ptolemaei gratiam et amicitiam quaerendam. Denique recte aliquo

modo ex ipso carmine persentiscere me puto non ea tempora regni Philadelphi notari, quibus imperio inito discordiis intestinis bellisque occupatus erat, neque ea, quibus diversis curis et senectutis morbique doloribus erat vexatus, sed ea, quibus omni rerum statu florente in potentiae quasi fastigio versabatur, in quibus numerandum est spatium inter a. 270 et 266. —

Praeter encomium XVII laudes Philadelphi canunt duo carmina, XIV et XV. Quae quando scripta sint, vix umquam accurate investigabitur. Carmen XIV enim Haulerus (p. 30) dixerat post Theocriti ex Aegypto reditum paulo ante a. 248 in Sicilia compositum esse (Passow. l. l. p. 133). Sed primum unde scimus umquam poetam Alexandria relicta in patriam revertisse? Mihi quidem longe hoc abesse videtur a veri similitudinis specie, quia quam turbidae quamque perturbatae illis temporibus omnes Siciliae res propter bellum Punicum fuerint facile perspicitur. „Gratiis" suis nihil Theocritus profecerat, nihil fere earum rerum accidere cognoverat, quas speraverat mente tam fervida. Et rediisse eum putabimus in insulam illam idque per inquieta belli tempora, quae poetis locum vix dare poterant? Quare etsi non plane negaverim potuisse fieri, ut Theocritus ex urbe Ptolemaeorum rediret, tamen cum de ea re traditum nihil habeamus, verisimile est eum moratum esse Alexandriae, qua urbe nulla tum poetis aptior erat. Deinde in Sicilia carmen XIV conditum esse neque ullo eius loco firmatur, et ne tum quidem opus esset hoc ponere, si recte scholiastes in argumento dixisset: τὰ πράγματα ἐν Σικελίᾳ. Quam opinationem nihil in carmine ipso probat; neque enim solis Siculis licebat dicere: πλευσοῦμαι κἠγὼν διαπόντιος (55). Denique cur paulo ante ipsum annum 248 scripserit hoc carmen, fateor me non intellegere, nisi forte e vs. 69 sqq. conclusit poetam senem fuisse; at nimis incerte statuit sub nomine Thyonichi, cuius versus illi sunt, latere ipsum Theocritum, ut Brinkerus quoque (p. 14) opinatur.

Contra Spohnius (p. 5 sqq.) et Wuestemannus (p. 200 sq.) iudicaverunt carmen XIV Theocritum Alexandriae scripsisse, priusquam in Siciliam rediret, i. e. ante c. XVI. Sed ut de reditu iam non verba faciam, si vere supra demonstravi querellas carminis XVI non ad Ptolemaeum pertinere, verisimile est carmen XIV quoque aetate inferius esse quam XVI. Nam mira esset incon-

stantia poetae, si, postquam in carmine XIV Philadelphum laudavit (59 sqq.) eiusque liberalitatem praedicavit (63: πολλοῖς πολλὰ διδούς), deinde in c. XVI avaritiam conquestus (17: οὐδέ κεν ἶον ἀποτρίψας τινὶ δοίη) quaesivisset, cui mortalium veniret κεχαρισμένος (68), postea vero eundem regem in c. XVII iterum summis laudibus extulisset[1]). Nam ne quis opponat poetam, cum scriberet c. XIV, regem non penitus cognitum habuisse, non blandiendi causa neque universe tantum, ut fit in laudando, praedicatur versibus 61 sqq. Mire enim Passowius (l. l.) iudicabat verbis αἰτεῖν δὲ δεῖ οὐκ ἐπὶ παντί (vs. 64) perstringi regis ingenium parcum; potius aut cum Fr. Jacobsio (apud Wuestem. p. 212 ad vs. 64) pro admonitione accipienda sunt, ne quis munificentia eius abutatur, aut testantur nobis interiorem animi cognitionem.

Quare nisi impeditiora praeferuntur, simplicissimum est ponere carmen XIV et ipsum post a. 270 Alexandriae, postquam poeta in Philadelphi gratiam venit, scriptum esse idque fortasse paulo ante c. XVII, quia in hoc laudes Ptolemaei multo amplificatae sunt. —

Neque plura sunt quae de carmine XV proferre licet. Hoc ex ingenio procreatum vere poetico cum arte subtili laudes praedicet et Philadelphi et maxime Arsinoae uxoris et sororis (110 sq.), post nuptias et post c. XVI, i. e. post a. 270 ipsum quoque scriptum est. Neque causam habeo, cur longe a tempore carminis XVII id distare putem; immo fortasse non multo post compositum est. Ut enim in c. XVII laudes solius fere Philadelphi insunt, ita in c. XV, etsi non tacetur de rege (cf. vs. 22. 46 sqq.), tamen reginae partes potiores tribuuntur, certe potiores quam in c. XVII; nam ab ea festum Adonidis celebrari narratur vs. 23 sq.: ἀκούω χρῆμα καλόν τι κοσμεῖν τὰν βασίλισσαν; et cf. vs. 109 sqq. Quapropter videor mihi non nimis audacter statuere Theocritum post regem in c. XVII collaudatum occasionem arripuisse reginae quoque laudationem dicandi (schol. in argum.: χαριζόμενος τῇ βασιλίδι).

Spohnius autem (p. 3 sqq.) et Wuestemannus (p. 215) carmen in Sicilia statim post a. 275, i. e. statim post poetae reditum scriptum esse existimabant secuti Passowium (l. l.), qui negabat

---

[1]) Idem cadit in c. XV. —

poetam in ipsa Aegypto versus 47 sqq. fecisse. Sed ut taceam de reditu deque eius tempore, argumento illo nihil probatur; praeterquam enim quod verba facit de rerum statu non tam praesenti quam praeterito (οἷα πρὶν 49) eumque in meliorem tum mutatum esse regi summae laudi vertit (46: πολλά τοι, ὦ Πτολεμαῖε, πεποίηται καλὰ ἔργα), non Aegyptiis sed Graecis Macedonibusque carmina sua Theocritus scripsit.

Statuere igitur conatus sum carmen XVI compositum esse a. 274—270; c. XVII post a. 270, ante a. 266; paulo ante hoc scriptum esse c. XIV, paulo postea c. XV. —

II.

Theocritus num Callimachum imitatus sit.

Theocritum poeseos bucolicae primum exstitisse auctorem eamque admirabili arte coluisse notum est. In hoc genere ingenii eius vis propria et nativa innotuit, inde ut effluereat, quidquid laudis poeticae contraxit. Eundem tamen obtemperantem mori veterum prope communi non puduit nonnulla debere aliis poetis vetustioribus: velut ipse quoque vestigiis carminum homericorum ingressus est, quibus nullius Graecorum poetae animus intactus esse poterat[1]). Atque multorum libris lectitatis et penitus cognitis quod doctrina aliqua fortasse non exigua instructus in memoria asservabat, quae deinde suis verbis similibus nonnumquam exprimebat invitus neque imitationis conscientia ductus, nos neque mirabimur neque iusto acrius reprehendemus, praesertim cum Theocritus quoque, quamvis magna inter aequales praestantia fuerit, tamen in Alexandrinis qui vocantur poetis recte numeretur, ita ut ne bucolica quidem eius poesis popularis sit, sed arte demum et

---

[1]) Cf. Stanger.: „Homer im Theocrit“, Blätt. f. d. bayer. Gymnasialschulwesen III, 1867, p. 201 sqq.; Futh.: „de Th. studiis Hom.“, diss. Hal. 1876. —

cogitatione inventa, ut M. Hauptius[1]), vir admirandus, vere iudicavit, quamquam id non semper a viris doctis videtur mihi observatum esse. Quare mirum non est, quod, ut omnes Alexandrinae aetatis poetae magis in imitandis et servandis vetustiorum exemplis versabantur quam in novis poeseos generibus creandis, ita ille quoque aliorum vestigia quamvis scite et artificiose secutus est. Cuius rei etiam nunc testimonia nobis praesto sunt, velut auctor carminis II argumenti narrat iudicans fortasse nimis acerbe: τὴν δὲ Θεστυλίδα ὁ Θεόκριτος ἀπειροκάλως ἐκ τῶν Σώφρονος μετήνεγκε μίμων; et in argumento idyllii XV legimus: παρέπλασε δὲ τὸ ποιημάτιον ἐκ τῶν παρὰ Σώφρονι θεωμένων[2]) τὰ Ἴσθμια. Quae num vera sint quamquam diiudicare nobis non iam licet, tamen late imitationem vagatam esse nemo putabit, qui haec carmina (II. XV) semel perlegerit; intelleget potius ea neque ullum imitationis vestigium prae se ferre et indolem praeclaram arguere non imitatoris, sed veri poetae Musis amati. Itaque iudicabimus Theocritum nonnumquam exempla poetarum aetate maiorum praeclara ante oculos habuisse, inde bonas fruges cepisse, didicisse quae digna erant, at in carminibus condendis suo ipsius ingenio paruisse tam probe et scite, ut exprimeret non imitationes, sed carmina nova.

Quam caute vero testimonia ad imitationes spectantia accipienda sint, scriptor argumenti carminis XVII demonstrat, cum dicit: Ἀρατείᾳ δὲ κέχρηται εἰσβολῇ. Nam eius opinione decepti plerique statuerunt versus primi verba ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα Theocritum sumpsisse ex Arati Phaenomenis, quorum initium fit eisdem verbis, donec Hempelius (p. 92 sqq.) sententia contraria prolata iudicavit imitatorem esse Aratum. Qua de re ne multa verba perderem, effecit Vahlenus[3]), qui quam falso imitatio statueretur eorum verborum, quorum sensus utroque loco diversus sit, luculenter demonstravit persuasitque Hillero[4]), viro doctissimo. Omnino cur haec tria verba

---

[1]) Opp. I 252 sq.; apud Belger. p. 230. — Nonnulla, quae ad artem alexandrinam pertinent, congessit R. Biese „de poesi Theocr. observationes“, diss. Rostoch., Strals. 1874. —

[2]) Sic Valcken. pro eo quod in codd. vulgatur θεμένων; θαμένων Blomfield. —

[3]) Ind. Berol. aest. 1885, p. 15. —

[4]) Wochenschrift f. klass. Philol. II, 1885, no. 41. —

ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, in quibus nihil est singulare, alter velut gemmas pretiosissimas ab altero sumpserit, non apparet; potius si et apud Theocritum et apud Aratum totum versum legeremus ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι, propter structuram mutatam (ἀρχώμεσθα — λήγετε) aliqua cum specie fortasse liceret imitationem captare. Quodsi quis opponat Theocritum, quippe qui Arati amicitia uteretur, repetiisse verba ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, ut amico placeret et tamquam approbationem laudemque aliquam ei testificaretur, mira esset haec ratio collaudandi. An alterutrum faciemus item inepte παρῳδοῦντα, ut Strato Iovis amorum furtorumque recordatus Μούσης παιδικῆς libro hoc exordium praeposuit: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καθὼς εἴρηκεν Ἄρατος (etc. Anthol. Pal. XII, 1)?

Speciosius Haulerus (p. 13)[1]) suspicatus est in Simichidae carmine Panem deum propterea invocari ad Aratum amore vexatum adiuvandum (7, 103 sqq.), quod is hymnum in Panem composuerit. Cavendum tamen est, ne longius progredientes imitationes illo loco ponamus, quoniam haud facile explorari potest, „quantum rerum et vocabulorum repetitum sit ex Arati vita ac poesi“, ut recte iudicat Buechelerus[2]). Eiusdem viri praeclari sententia vocabulo τετραμμένος (vs. 112) Theocritus imitatus Aratum ludit, in cuius Phaenomenis tam frequens huius vocis usus sit, ut commodasse eam videatur ceteris poetis. Quod si verum est, Theocritus imitationis sibi non conscius illud vocabulum posuit. Aratus enim cum in eisdem verbis et elocutionibus scribendis nonnumquam haud procul abest a taedio, tum participia perfecti passiva valde videtur adamasse; sic legimus: κέκλιται (286 Bekk.), παρακέκλιται (281), ὑποκέκλιται (322), ἐπικέκλιται (486. 897); ἐπὶ λαιὰ κεκλιμένον (161), ὑπὸ πνοιῇ βορέαο κεκλιμένῃ (356); similiter Callimachus de Cimmeriis dixit: οἵ ῥα παρ᾽ αὐτὸν κεκλιμένοι ναίουσι βοὸς πόρον Ἰναχιώνης (3, 253 sq.), ubi κεκλιμένοι corruptum esse O. Schneiderus frustra contendit. Participium deinde τετραμμένος novies apud Aratum legi: vs. 30 ἔμπαλιν εἰς ὤμους τετραμμέναι, 298 ἐπ᾽ αἰγιαλοὺς τετραμμένοι, 632 ἐς λοφιὴν τετραμμένον ἄχρι παρ᾽ αὐτήν; cf. 344. 387. 620. 669. 853; 575: ἐξόπιθεν τετραμμένος. Itaque Theocritus cum

---

[1]) Cf. Brinker. p. 7; Susemihl. p. V; Haeberlin. p. 55. —

[2]) Mus. rhen. 39, 1884, p. 276. —

fortasse verbum totiens lectitatum in mente teneret, in simili argumento loqui potuit: Ἕβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτω: sic enim verba uno tenore coniungenda esse virgula post μέσσῳ in fine versus antecedentis posita recte Buechelerus l. l. docuit. Certe locis Arateis evincitur nihil in hoc versu depravatum esse; nam quod in solo codice k τετραμμένος legitur, in reliquis κεκλιμένος, quod in k quoque margini adscriptum est, hoc e glossa aliqua vel librarii culpa in textum irrepsisse videtur: utrumque, et κεκλιμένος et τετραμμένος, per se ex Arato sumere poterat; sed quidquid Theocritus scripsit — neque enim confidenter id statui poterit —, non fit imitator Arati propter hanc unam vocem, velut Apollonius Rhodius in verbis ἐσθλὸς δ' ἀνέμοιο θυέλλας καὶ πλόον ἠελίῳ τε καὶ ἀστέρι τεκμήρασθαι (1, 107 sq.) vix imitatus est Aratum vocabulis τεκμαίρεσθαι et ἐπιτεκμ. saepissime utentem et e. g. haec scribentem: Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν (37 sq.).

Gravius est, quod nuper exstiterunt, qui Theocritum maxime in c. XVII hymnos Callimachi imitando expressisse contenderent; quorum princeps, Hempelius, multa opera navata atque etiam tabula conspectus causa inserta (p. 82 sqq.) sententiam suam probavit „mit ziemlich gewichtigen Beweisgründen", si quidem K. Zettelio[1]) fidem habemus ita in recensione dissertationis iudicanti. Assensus praeterea est sine ulla dubitatione Brinkerus (p. 11 et 71). — Quae opinio si vera sit Theocritum Callimachi viri docti hymnos doctissimos imitatum esse, apparet, quantum laudes eius infringantur, quia ingenium eius tam exiguum fuerit, ut vel aequalis carmina exprimeret imitando. Quare non prorsus inutile erit de integro in hanc rem accurate inquirere.

Atque primum cum Theocriti encomio Ptolemaeo dicato Callimachi hymnum in Iovem scriptum comparemus. — Callimachus exordium facit ab hac interrogatione (1—3): in Iovis libationibus quis meliore iure celebratur carmine quam ipse Iuppiter, deus caelestium supremus? Adnectit deinde poeta alteram interrogationem (4): πῶς καί νιν, Δικταῖον ἀείσομαι ἠὲ Λυκαῖον: deinde, vel praeterea, quomodo h. e. qualem Iovem celebrabimus, utrum Dic-

---

[1]) Philol. Rundschau II, 1882, no. 30. —

taeum an Lycaeum? Sic enim καί particula intellegenda est, ut alteri interrogationi alteram adnectat; velut Sophocles Oedipo interroganti τὸν ἄνδρα τόνδ' οὖν οἶσθα τῇδέ που μαθών respondentem θεράποντα facit: τί χρῆμα δρῶντα; ποῖον ἄνδρα καὶ λέγεις (O. R. 1129); cf. etiam Eurip. Iphig. Aul. 1192; alia huius usus exempla congessit A. Chlebowski[1]), quamquam non omnia faciunt ad rem. Dubitare igitur se fingit poeta, utrum in Creta an in Arcadia deus natus sit (5—7); sed cum aliunde demonstrari possit Cretes esse mendaces (Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται; cf. Epimen. frg. 5, p. 234 apud Kinkel.), restat, ut Iuppiter sit Lycaeus, h. e. in Arcadia natus (7—10). Quare inde a vs. 10 verbis ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν incipit enarrare Iovis natum. Particula autem δέ in vs. 10 quae sequuntur arte adiungit antecedentibus et aliquo modo opponit: in Creta quidem tu, Iuppiter, natus non es; neque enim fides habenda est Cretibus; immo in Arcadia, in „Parrhasiorum dicione" (Mein.), Rhea te peperit: ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν. Sic inde a vs. 1 usque ad vs. 10 et longius deinde oratio procedit in ipso argumento narrando nullis versibus praemissis, qui prooemii loco per se soli aut poni possint aut explicari. Neque haec ratio abest a more Callimacheo, quem quidem ex hymnis novimus. Nam Dianam sic incipit celebrare: Ἄρτεμιν — ὑμνέομεν — ἄρχμενος ὡς ὅτε πατρὸς ἐφεζομένη γονάτεσσι παῖς ἔτι κουρίζουσα τάδε προϲέειπε γονῆα. Atque in secundo hymno primus versus statim medio in argumento versatur; cf. 5, 1. 6, 1.

Nunc ad Theocritum nos convertamus, qui in c. XVII sic fere exorditur: ut a Iove principium est et in Iove finis, si immortalium optimum celebramus, ita Ptolemaeus, quo hominum nemo praeclarior est (ὁ γὰρ προφερέϲτατος ἀνδρῶν)[2]), in exordio carminis ponatur et in fine et in medio (1—4). Qui versus quantum a Callimacho distent apparet: an, quoniam hic dicit: in Iovis libationibus Iuppiter cantandus est, Theocritus autem comparationem facit inter Iovem et Ptolemaeum, hunc cum Hempelio putabimus versibus 1 et

[1]) „De Call. hymno in Iovem", progr. Rössel. 1879, p. 8 sq. —

[2]) ἀνδρῶν, quod in libris vulgo legitur, servandum esse pro ἄλλων, quod scribunt, Vahlenus (l. l. p. 16) observavit, qui de toto hoc prooemio subtiliter et copiose disputavit. — Cf. Zettel., Blätt. f. d. bayer. Gymn. 10, 1874, p. 115 sq. —

2 expressisse initium hymni Callimachei? Theocritus deinde pergit (5—8): ut priscis heroibus poetarum laudes contigerunt[1]), ita ego nunc Ptolemaeum hymno celebrabo. Atque blanditus regi post verbum ὑμνήσαιμ' addit: ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν (cf. 22, 223). His igitur versibus argumentum carminis Theocritus exponit: se nunc Philadelpho hymnum dicare. Post hos autem versus, quibus ne potuit quidem Callimachi exemplar imitari, alterum quasi blandimentum promens, cum plurimis rebus regem florentem dei fecerint, nescire se fatetur, unde initium capiat cantandi. Quam tertiam particulam iterum comparando expressit (9—12):

Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλατόμος ἐλθὼν
παπταίνει, παρεόντος ἄδην, πόθεν ἄρξεται ἔργου.
τί πρῶτον καταλέξω; ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν,
οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων.

Cum hac poetae ἀπορίᾳ num apte imitationis causa Callimachi verba conferuntur haec: ἐν δοιῇ μάλα θυμός, ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον? Profecto quod ex hoc versu Theocritus tam poetice comparationem suam enucleavit, admirandus est, praesertim cum Callimachi dubitatio prorsus diversa sit; neque enim is dubitat, unde incipiat deum canere, sed haeret in Iovis genere, quod est ἀμφήριστον, quasi diiudicaturus certamen quoddam spectans ad litteras. Prope magis etiam ridicule Theocritus dicitur lignatorem misisse Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ob id solum, quod Callimachus de Cretibus mendacibus dicit: Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι (6); nonne e poetae homerici verbis Ἴδης ὑληέσσης (Φ 449) disci poterat, quam apte Theocritus cogitaverit de Ida monte non Cretensi sed Troico, in quo Agamemnonis iussu δρῦς ὑψικόμους ταναήκεϊ χαλκῷ τάμνον (Ψ 118 sq.; cf. etiam Ξ 287. Φ 559)?

Iam verba quae sequuntur ἐκ πατέρων οἷος μὲν ἔην (13) uno tenore coniuncta difficillima sunt ad intellegendum. Neque enim verba ἐκ πατέρων, ut argute Vahlenus sensit, aut vi temporali de Lagida, ut significent „inde a temporibus maiorum“, aut sensu

---

[1]) Vss. 5 sq. (ἥρωες, τοὶ πρόσθεν ἀφ' ἡμιθέων ἐγένοντο, ῥέξαντες καλὰ ἔργα . . .) comparari possunt cum Hesiod. O. D. 158 sq., quo loco inde a vs. 161 ἡμιθέων καλὰ ἔργα enarrantur; cf. etiam hymn. hom. 31, 18 sq. 32, 18 sqq. —

partitivo apte posita sunt. Certe de patre et matre Philadelphi tum demum licebit verborum ἐκ πατέρων formam partitivam defendere, cum exemplum huius dicendi rationis Graecis inusitatae geminum et idoneum investigabitur. Quare Vahlenus (p. 16 sqq.) post vs. 10 versum excidisse suspicatus est talem, qualis hic est: τοῖος παπταίνω κἀγὼ πόθεν ἄρξομαι ὕμνου, atque verba ἐκ πατέρων post duplicem interrogationem (πόθεν ἄρξομαι ὕμνου, τί πρῶτον καταλέξω) responsi loco sola per se posita intellexit. — Cui coniecturae quod R. Steigius[1]) opponit versu illo interposito concinnitatem binorum versuum disturbari, non valet haec causa in eo carmine, in quo pares versuum strophas a Theocrito institutas esse demonstrari nequeat. At recte idem vir doctus animadvertit verba ἐκ πατέρων non posse pro responso accipi post ea quae intercedunt; nam in oratione sic formata: τοῖος παπταίνω κἀγὼ πόθεν ἄρξομαι ὕμνου, τί πρῶτον καταλέξω· ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων· ἐκ πατέρων. οἷος μὲν ἔην . . . verba ἐκ πατέρων respondent solis verbis πόθεν ἄρξομαι ὕμνου, non, ut exspectatur, verbis propius antecedentibus: τί πρῶτον καταλέξω. Omnino dubitari licet, an poeta, cum adderet ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν κτλ., interrogationem non rhetorice, ut ita dicam, intellegi voluerit. Itaque cum in hac emendatione durities illa quidem inter vs. 10 et 11 tollatur, at, ni fallor, nova exoriatur in verbis ἐκ πατέρων, cumque ipse Vahlenus coniecturam temptaverit non propterea, quod „simile, quo utitur (scl. poeta) seorsum positum nulla particula comparativa cum summa sententia coniungitur“ (p. 20) neque ob id solum, quod aliquid duritiei persentiscitur inter vs. 10 et 11, sed quod verba ἐκ πατέρων recta interpretatione carere videntur, versu illo interposito fortasse non opus erit, si alia explicatione crucem illam effugiemus. Et videtur mihi quidem simplicissimum esse et verissimum, quod A. Kirchhoffius, vir praestantissimus, in seminario me docuit. Is enim ἐκ πατέρων adiunxit antecedentibus, ut verba οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων ἐκ πατέρων significent: „quibus dei optimum regum inde ab aetate parentum honoraverint.“[2]) — Quam interpretationem si sequimur, non vss. 1—12

[1]) Wochenschr. f. klass. Philol. II, 1885, nr. 23. —

[2]) Postea eandem interpretationem legi apud Greverum p. 126; posteriorum interpretum ne Fritzschius quidem eius mentionem fecit. —

prooemii loco praelusi esse possunt, sed vss. 1—8, si quidem omnino exordium seorsum positum et a sequentibus plane segregatum statuitur. Sed de hac re utut disceptabitur, etiamsi ne Theocritum quidem quis putat similiter atque Callimachum exordium distinxisse, velut in c. XVI quoque post exordium (1—4) arte versus sequentes adiunxit (5: τίς γὰρ . . .), id antea demonstravisse mihi videor multum in exordiis utriusque carminis inter se discrepare Callimachum et Theocritum: ille dicturus est Iovem eumque in Arcadia natum; hic Ptolemaeum celebraturus unde in tot rebus memoria dignis exordium faciat poetarum modo nescientem se fingit.

Callimachus deinde verbis ἐν δέ σε Παρρασίῃ Ῥείη τέκεν (10), ut supra vidimus, natum Iovis eiusque primordia explicare incipit doctiloque magis quam poetice. Dea igitur, postquam filium peperit (μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων vs. 15; cf. 3, 25), aquam quaesivit, ᾧ κε τόκοιο λύματα χυτλώσαιτο (16 sq.); sed quia ἄβροχος erat tota Arcadia, fluvii procreati sunt Rheae numine, quae post descriptionem fluminum et notorum et non notorum a poeta fingitur insulse adloquens montem: γαῖα φίλη τέκε καὶ σύ· τεαὶ δ' ὠδῖνες ἐλαφραί (29). Tum aqua copiose fluente mater Iovis χρόα φαιδρύνασα — σπείρωσε (32 sq.; velut ipsa Delus insula Apollinem λοῦσέ τε καὶ σπείρωσε: 4, 6). Quo facto puerulus ut in Cretam deferretur, Nedae traditus est: πρεσβυτάτῃ νυμφέων αἵ μιν τότε μαιώσαντο, πρωτίστῃ γενεὴν μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε (35 sq.); sic enim cum Meinekio scribam: earum nympharum, quae obstetricum munere in Iove pariendo fungebantur, natu maxima erat, eadem erat aetate tertia, si omnes nymphae respiciuntur. Quam sententiam, quamvis frigida sit, ego non dubito Callimacho concedere, qui in summa βραχυσυλλαβίῃ, quam ipse praedicat (Epigr. 8, 6 de Wilam.), nonnumquam haud abest a tautologia (cf. Mein. Call. p. 256. 129). Nam quod de Wilamowitzius, vir doctissimus, Schneiderum secutus verba πρεσβυτάτῃ νυμφέων coniungit cum μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε atque quae interposita sunt αἵ μιν τότε μαιώσαντο πρωτίστῃ γενεή sic scripsit parenthesis loco, vereor, ne hac ratione non emendetur, quod poeta ipse peccavit: nunc enim pro tautologia in verbis αἵ μιν — γενεή structurae durities exoritur paene molestior.[1]) — Infans igitur

[1]) Reicit hanc interpretationem Hillerus quoque: Deutsche Litteraturzeit. 1883 nr. 14. —

Iuppiter, postquam in itinere umbilico amisso effecit, ut inde Ὀμφάλιον πέδον (45) postea nomen caperet, ad Idaeos montes transportatus accuratissime altus et educatus est, velut πίονα μαζὸν αἰγὸς Ἀμαλθείης suxit (cf. Arat. 163) comeditque mel apibus subito (ἐξαπιναῖα) tum primum in illa regione exortis. Curetes autem, ne Saturnus audiret Iovem κουρίζοντα, πρύλιν ὠρχήσαντο τεύχεα πεπλήγοντες (— vs. 54; cf. Arat. 30 sqq.). Deinde poeta describit, quomodo Iuppiter deorum princeps factus sit.

Cum tota hac carminis parte, quam breviter modo adumbravi (10—54), Theocrito ne una quidem vox communis est. Potius is inde a verbis οἷος μὲν ἔην (13) per complures versus et patrem Philadelphi laudibus tollit et matrem (usque ad vs. 52). Postquam igitur suo periculo hanc partem encomii componere ausus est, ipse quoque natum describit non Iovem sed Ptolemaeum et describit ita, nihil ut eum hymno Callimachi primo debere eluceat; immo ut hic deum natum facit velut hominem humanarumque rerum indigentem, sic contra Theocritus minore cum doctrina, cum arte maiore regem e vulgari nascendi ratione tamquam eximit et in altiorem gradum tollit. Sed de his eius versibus (53—70) infra mihi disserendum erit.

Interim ad Callimachum revertimur post Iovis primordia describentem, quomodo is regnum immortalium sibi vindicaverit; qua in re poetas reprehendit, quod non vera de Iovis imperio cecinerint: δηναιοὶ δ' οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί· φάντο πάλον Κρονίδῃσι διάτριχα δώματα νεῖμαι (60 sq.; cf. Hom. O 187 sqq., Hesiod. theog. 881 sqq., hymn. hom. 5, 85 sqq.). Quam sententiam suam confirmat versibus sequentibus: τίς δέ κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἄιδι κλῆρον ἐρύσσαι, ὃς μάλα μὴ νενίηλος; quod hic Neptuni sors omittitur, id non, ut Schneiderus voluit, factum est iactura in codicibus admissa, sed de industria poeta tantum Olympi et Orci mentionem fecit, ut inter se opponeret, quae τόσσον ὅσον διὰ πλεῖστον ἔχουσιν (64)[1]). Callimachi igitur opinione non sortes Iovem deorum regem fecerunt, sed ἔργα χειρῶν, σή τε βίη τό τε Κάρτος, ὃ καὶ πέλας εἷσαο δίφρου

[1]) Sic recte iudicavit O. Richterus: „Callimachus Hymnen auf Zeus und Apollo. — Zwei Momente im Leben des Ptolemaeus Philadelphus“, Progr. Guben. 1871, p. 4 sq. —

(66 sq.): non recte Bentleius correxit ἥ τε βίη vel Βίη assentientem habens Meinekium; cur enim post σή non dicat σόν sed τό, demonstrat sententia relativa ὃ καὶ π. εἵσαο δ., qua Homerica formula mutata (e. c. cf. δ 415. ν. 143) discrimen facit inter Iovis ipsius vires et potestatem, quam tamquam deam (Κάρτος) iuxta se locavit. — Ceterum ne horum quidem versuum (55—67) imitationis vel vestigium apud Theocritum reperitur.

Sed iam tandem aliquando sequuntur „loci gravissimi", scl. qui ad imitationes Theocriti probandas sufficiant, quos fortasse tu, lector carissime, morae impatiens diu exspectavisti. Iuppiter enim undique ea conquisivit, quae optima sunt et praeclarissima: non solum Κάρτος prope solium suum posuit, sed etiam avium potentissimam, aquilam, iussit nuntium esse prodigiorum suorum et imperatorum (68 sq.), quin etiam hominum optimos (αἰζηῶν ὅτι φέρτατον) sibi curandos elegit, non mercatores, non milites, non poetas, quos omnes μακάρεσσιν ὀλίζοσιν concessit, sed πτολιάρχους (73). Sic factum est, ut homines appellent fabros Vulcani, milites Martis, venatores Dianae, cantatores Apollinis; ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων θειότερον (79 sq.): sic hoc loco traditum est scrupulorum pleno. Verba enim ita scripta intellegi non posse consentiunt fere omnes. Itaque Schneiderus una littera mutata scripsit: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆας, ἐπεὶ Διός· οὐδὲν ἀνάκτων κτλ.; supplevit igitur ὑδείομεν (76) in voce βασιλῆας; verba autem ἐπεὶ Διὸς fateor me non intellecturum fuisse, nisi ipse explicasset: „quoniam Iovis sunt i. e. summi dei, non alicuius ex minorum deorum numero" (I 159)[1]. Quae interpretatio nimis torta est, quam quae mihi satisfaciat; ne de Wilamowitzio quidem placuit, qui in textu verba depravata reliquit, in adnotatione coniecit ἐπὶ χθονὸς pro ἐπεὶ Διός; nec tamen desideratur hoc additamentum neque libenter omittam particulam ἐπεί apte inservientem ad firmanda quae antecedunt: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. Tres vero viri sagacissimi pro se quisque coniecerunt ἐπεὶ γένος κτλ., Peerlkampus (Xen. Ephes. p. 258), Meinekius, Hauptius (Opp. II 141 sq.). Quae emendatio, quamvis speciosa sit, mihi quidem non plane probatur; nunc enim offendor in voce θειότερον, quia non logice dicuntur reges Iovis esse prop-

[1]) Similiter iam Heckerus iudicaverat l. l. p. 129. —

terea, quod nullum genus divinius est quam regum. Potius vice versa dicendum erat: nullum genus divinius est quam regum propterea, quod reges Iovis sunt. Omnino equidem tale aliquid exspectaverim: cantamus fabros Vulcani, milites Martis, venatores Dianae, poetas Apollinis; Iovis autem sunt reges, quia nihil — quid tandem? — Iovi similius est quam reges vel quia nihil Iovem ita decet ut regum genus. Haec muneris similitudo causa est, cur Iuppiter suam λάξιν (80) regibus tribuit. Itaque negaverim verba ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων corrupta esse, et videtur mihi aut in θειότερον corruptela latere aut ante hoc vocabulum versus excidisse, etsi doleo restituere me non posse, quod omnes probabilitatis numeros in se habeat. Manet igitur aliquid dubii hoc loco. Ceterum in voce repetita Διὸς Schneiderus non debuit offendi propterea, quod, „cum ubique poeta Iovem alloquatur“ (p. 159), eam legem hoc loco fiat non tenens: cui sententiae repugnat cum versus 93: τίς κεν Διὸς ἔργματ' ἀείδοι, tum Schneiderus ipse, cum p. 319 verba ὡς ἐγὼ 'Απόλλων coniciendo temptata (4, 273) tueatur ratus posse ab invocatione ad narrationem transiri.

Regibus igitur Iuppiter regna commisit deditque eis satis divitiarum, satis fortunarum; at non omnibus tribuit pariter, ἔοικε δὲ τεκμήρασθαι ἡμετέρῳ μεδέοντι· περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν: hic Schneiderus, postquam εὐρὺ βέβηκεν Meinekio „insolenter dictum“ visum est, mutatione facillima scripsit εὐθὺ eique Richterus (l. l. p. 5 sq.) applausit. At in illis verbis neque tautologia mutandi ansam praebet, quia et περιπρὸ vi attenuata cum βέβηκεν coniungitur, ut sit εὐρὺ προβέβηκεν, et simili ubertate loquitur Apollonius Rhodius 2, 869 sq.: περιπρὸ γὰρ εὖ ἐκέκαστο ἰθύνειν et 904 sq.: πουλὺ δ' ἐπιπρὸ τέμνον πλόον (cf. etiam 4, 1388 sq.), neque εὐρὺ pro μακρόν vel μέγα dictum exemplis caret: ipse Callimachus dicit θεὸς εὐρυάνασσα (6, 121) et νησάων εὐρειάων (4, 66); cf. 3, 242. 248. Hom. εὐρύοπα Ζεύς, εὐρυκρείων 'Αγαμέμνων; A 229: στρατὸν εὐρύν (Δ 76 etc.); α 344: τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' 'Ελλάδα κτλ.; Plat. apud Diog. Laert. 3, 30: εὐρείας ἐλπίδας, etc. Quare recte de Wilamowitzius in editione sua εὐρὺ servavit.

Rex igitur aliis multum praestat; quomodo autem id fieri potuerit, tamquam exemplo demonstratur versibus his frigidissimis: ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ τά κεν ἦρι νοήσῃ· ἑσπέριος τὰ μέγιστα, τὰ

μείονα δ', εὔτε νοήσῃ (87 sq.). Neque enim recte Meinekius de solis opibus cogitans unius vel duorum versuum lacunam esse putaverat post βέβηκεν (p. 133 sq.), potius verba περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβ. in universum dicta non impediunt, quominus statim prudentiae regis exemplum afferatur. Callimachus igitur postquam sic sui regis felicitatem praedicavit, hanc carminis partem finit, cum addit alios reges ne per annum quidem quae velint posse perficere, nonnullorum vero consilia prorsus dirempta esse (89 sq.). Omnes hi versus, quibus de rege suo poeta agit, quin spectent ad Ptolemaeum Philadelphum, dubium non est, quamquam nomen eius nusquam appellatur neque scholiasta ad vs. 86 quidquam adnotat nisi: περὶ τοῦ Πτολεμαίου ταῦτα λέγει.

Nunc haec cum Theocrito comparemus. Is enim, postquam a Co insula, in qua natus est Philadelphus, puerulum in lucem editum salutatum finxit (66 sqq.), vs. 71 haec canit: ὣς ἄρα νᾶσος ἔειπεν· ὁ δ' ὑψόθεν ἔκλαγε φωνᾷ ἐς τρὶς ἀπὸ νεφέων μέγας αἰετὸς αἴσιος ὄρνις. Id quam poetice excogitatum sit, nemo non sentit; quod tamen non, ut fieri solet, Iovem tonantem facit, sed insulae vota aquilae voce prosequitur ter sonante, non ductus est exemplo Callimachi, qui ne obtulit quidem quidquam simile: apud eum enim aquila in contextu plane diverso memoratur: in quaerendis regni ornamentis Iuppiter nuntium assumpsit οἰωνῶν μέγ' ὑπείροχον (68). An quae verba Callimachus addit ἅτ' (scl. τέρατα) ἐμοῖσι φίλοις ἐνδέξια φαίνοις (69), ea Theocritus ita imitatus est, ut inde faceret versus suos optimos? Deinde apte progressus pergit (73): Ζηνός που τόδε σᾶμα. Sed cur vota insulae regi dicata suo prodigio ipse Juppiter affirmavit? Nempe Διὶ Κρονίωνι μέλοντι αἰδοῖοι βασιλῆες· ὁ δ' ἔξοχος, ὅν κε φιλήσῃ γεινόμενον τὰ πρῶτα (73 sqq.). Meminimus nunc Callimachum quoque post aquilam verba fecisse de regibus. Quae non fecit, ut aliquod prodigium explicaret, sed ut demonstraret ex hominibus ipsos reges Iovem sibi tutandos sumpsisse. Num igitur concedemus „mire“ cum Callimacho Theocritum consentire, imprimis si respexerimus, primum via quam diversa ad suos quisque versus deductus sit, deinde quam facile, quam apte acciderit, ut in rege celebrando mentio eius dei intericeretur, qui semper tutator regum putabatur? Etenim iam Hesiodus theog. 96 (= hymn. hom. 25, 4) dixerat: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: unde quin Callimachus sua sumpserit dubitari nequit. Cur igitur Theocritus, si quidem

necesse est eum fingere imitatorem, non ex ipso fonte hausit, sed ex rivulo inde deducto, praesertim cum Theogoniae initium cognitum habuisse videatur? Nam cum scriberet αἰδοῖοι βασιλῆες, in mentem eius venire poterat hic versus ἣ (scl. Καλλιόπη) γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ (80); quamquam non dico eum haec imitatum esse; atque in formandis versibus — αἰδοῖοι βασιλῆες· | ὁ δ' ἔξοχος, ὅν κε φιλήσῃ γεινόμενον τὰ πρῶτα, πολὺς δέ οἱ ὄλβος ὀπαδεῖ poterant animo eius tamquam inviti repraesentati esse hi versus: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· | ὁ δ' ὄλβιος ὅντινα Μοῦσαι φίλωνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή (96 sq.); similiter haec de Μητρὶ πάντων conformata sunt: σεῦ δ' ἔχεται δοῦναι βίον ἠδ' ἀφελέσθαι θνητοῖς ἀνθρώποισιν· | ὁ δ' ὄλβιος, ὅν κε σὺ θυμῷ πρόφρων τιμήσεις· τῷ τ' ἄφθονα πάντα πάρεστι (hymn. hom. 30, 6 sqq.; cf. etiam 5, 486 sq.). Deinde quod post verba Διὶ Κρονίωνι μέλοντι αἰδοῖοι βασιλῆες addit: ὁ δ' ἔξοχος ὅν κε φιλήσῃ γεινόμενον τὰ πρῶτα, haec sententiarum forma inde exorta est, quod modo Iovem depinxerat infanti Ptolemaeo benigne adnuentem; at apud Callimachum verba περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβ. κτλ. non posita sunt de rege modo nato, sed oppositionis causa, scilicet ut, postquam de omnibus regibus dixit: ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλές σφισιν, ἐν δ' ἅλις ὄλβον πᾶσι μέν, Philadelphus e ceterorum regum numero eximeretur; apud Theocritum autem quae his similia videntur, πολὺς δέ οἱ ὄλβος ὀπαδεῖ, πολλᾶς δὲ κρατέει γαίας, πολλᾶς δὲ θαλάσσας, non de omnibus regibus sed de uno proferuntur, nempe de eo, quem statim ab initio Iuppiter adamavit. Sic diversa sunt, quae fortasse primo obtutu alicui eadem videntur esse; sed etiamsi hae de opibus regum praedicationes similes sint, iniuste tamen imitatio statueretur, quoniam a nullo prudenti negatur in similibus argumentis similia facillime narrari.

Iam inde a vs. 77 Theocritus summis laudibus effert vastos Philadelphi regni fines eorumque singulas partes accurate enumerat et adiungit multitudinem militum, qui σεσαγμένοι ἀμφαγέρονται regem (94). Tum celebrat Ptolemaeum omnes reges ὄλβῳ καταβρίθοντα: ex his largis opibus incolae quoque id commodi capiunt, quod ab hostium impetu tuti pace fruuntur; ipse autem rex non avare divitias congerit formicarum ratione, sed multa donat deis, hominibus, maxime poetis cantatoribusque; quin etiam parentibus templa aedificavit atque honores tribuit divinos una cum Arsinoe uxore sua

et sorore: sic eo poeta deducitur, ut paucis hoc matrimonium celebret atque comparet cum Iovis et Iunonis ἱερῷ γάμῳ (— 134).

In his omnibus, quae Theocritus copiose et variis quasi coloribus illustravit, haudquaquam expressam reperies Callimachi sententiam mire et incredibiliter dictam hanc: ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ κτλ. (87 sq.). Quod idem aliis de regibus pergit: οἱ δὲ τὰ μὲν πλειῶνι, τὰ δ' οὐχ ἑνί, τῶν δ' ἀπὸ πάμπαν αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας, ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν (89 sq.), haec quoque frustra apud Theocritum quaeres, nisi forte imitationem olere videntur haec: ὄλβῳ μὴν πάντας κε καταβρίθοι βασιλῆας (95), ut alia omittam nimis futilia. An re vera Theocritus „illustravit coloribus eandem picturam", quam Callimachus „delineavit" verbis illis περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβ. κτλ.? Quod si verum esset, numquam satis admiraremur huius imitatoris ingenium, qui e verbis paucis eisque tenuibus tot versus faceret praeclaros et non sine granditate dictos.

Sed festinamus ad carminum exitus. Callimachus igitur post Ptolemaei mentionem ad Iovem rediens totum hymnum claudit versibus χαῖρε μέγα, Κρονίδη πανυπέρτατε κτλ. (91 sqq.). Hos enim sex versus omnes fere interpretes, quos quidem novi, in unum complexi ab antecedentibus segregaverunt (cf. edit. de Wilam.). Solus Hempelius, quem fefellit „opinio praeiudicata", priores tres versus (91—93) argumento carminis adiunxit; quod fieri nullo modo potest, quia verba χαῖρε μέγα (91) exitum hymni arguunt et recipiuntur verbis χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι (94); atque vir ille doctus, quae arte inter se cohaerent, divellit ob id solum, ut clausula Callimachea aequaret tres versus a Theocrito in fine positos χαῖρε ἄναξ Πτολεμαῖε κτλ. (135 sqq.). Inter Callimachum autem et Theocritum hoc statim discriminis intercedit, quod ille dicit Iovis facta neminem umquam posse cantare, h. e. ne ipsum quidem hoc munus suscepturum esse (91—93); hic vero, qui res a Ptolemaeo gestas modo cecinit, idem postea quoque facturum se esse pollicetur: σέθεν δ' ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων μνάσομαι ἡμιθέων. Deinde cum pergit: δοκέω δ' ἔπος οὐκ ἀπόβλητον φθέγξομαι ἐσσομένοις, tale nihil apud Callimachum legitur. Restant igitur sola verba ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτεῦ.

Hic a codicis k scriptura αἰτεῦ proficiscendum est; neque enim fidem habebimus lectioni ἕξεις vel ἕξοις, quam tradunt ceteri

codices. Tamen haec ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτεῦ, h. e. virtutem a Iove ipse tibi petas, non prorsus apta mihi videntur; certe paulo accommodatius est, si poeta, qui Ptolemaeum cantando ornavit et deinde ornaturus est, in fine a Iove ἀρετήν ipse petit; quare mihi arridet coniectura, quam fecit Briggsius ab Ahrensio et Meinekio (suppl. adn. p. 488) probatam: scripsit enim αἰτέω. Haec autem verba ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτέω Kirchhoffii doctrina benigna ductus sic intellego: poeta petit a Iove, ut ab eo adiutus et ingenii viribus instructus sufficiat ad carmina componenda, quae regi modo vovit. Hanc enim vim, quae per se in voce ἀρετήν non inest, hoc tamen loco Theocritum inesse voluisse propterea putaverim, quod, ut verbis σέθεν δ' ἐγὼ ἴσα καὶ ἄλλων μνάσομαι ἡμιθέων sine dubio memoriam formulae illius revocavit ex hymnis homericis notae (cf. Fritzsch. et Hiller. ad vs. 135), ita etiam verbis ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτέω tecte tetigit clausulam δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον, qua hymnorum homericorum etiamnunc duo finiuntur (15, 9. 20, 8): quibus verbis rhapsodi vim cantandi et victoriam petebant. Eorum autem hymnorum recordationem Theocritus eo consilio movet, ut hymni specie suum quoque carmen exornet; quae etiam causa est, cur munus cantandi non ab Apolline et Musis petat, sed a Iove, de quo in exordio dixerat: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι: sic in fine encomii ad initium respiciens (cf. Kiessling.) hac quoque re efficit, ut in Ptolemaeum non encomium tantum, sed hymnum, quo antea soli dei celebrari solebant, condidisse videatur (cf. vs. 8). Ceterum ipsa haec interpretatio, qua exitus carminis cum initio conspirat atque consensus quidam cum hymni natura efficitur, correctionem αἰτέω affirmat.

Prorsus aliter rem suam instituit Callimachus; is enim etsi verbis δίδου δ' ἀρετήν τ' ἄφενός τε et ipse sicut Theocritus verbis ἀρετήν γε μὲν ἐκ Διὸς αἰτέω formulae illius homericae monuit, tamen sua verba non de auxilio dei in carminibus pangendis optato sed de virtute in vita humana praestanda deque felicitate intellexit. Quare postquam suo more velut doctus praeceptor explicuit, cur utrumque simul petendum sit, verba eadem repetit uno vocabulo delectationis causa variato: δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.

Vides, qualis sit „similitudo amborum carminum, quam nemo, qui accuratius ea perlegerit, negabit"; ut taceam de universo

utriusque hymni argumento prorsus diverso: Callimachus enim Iovem celebrandum sibi proponit et in hac re ad Philadelphi mentionem deducitur; Theocritus in solo rege collaudando totus versatur. —

Transeo nunc ad hymnum in Delum scriptum, ex quo imprimis duos locos Theocritus in eodem c. XVII expressisse dicitur. Primum enim Callimachus narrat Apollinem nondum in lucem editum (εἰσέτι γαστέρι μάντιν 189) Latonam matrem, cum summis doloribus vexata Con insulam adiret, retinuisse, ne hac in insula se pareret, cum de Ptolemaeo (cf. vs. 188) vaticinaretur huic insulae fortunae sorte alium deum deberi, σαωτήρων ὕπατον γένος (165 sqq.), in cuius potestatem et Asia et Africa (ἀμφοτέρη μεσόγεια) venturae essent et terrae in mari sitae h. e. insulae (αἳ πελάγεσσι κάθηνται) ab occidente usque ad orientem. Similiter Theocritus post singulas regni partes enumeratas dicit: θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ (91 sq.). In his quamquam uterque sane veritatis fines transiit, tamen Callimachum longius etiam processisse nemo negabit. Deinde quod de eodem rege re vera potentissimo poetae duo aequales Alexandriae in aula versati imperii magnitudinem laudibus efferunt, hoc neque mirum est — miraremur potius, si de hac re dissentirent — neque sufficit ad imitationem eruendam: eruitur tum demum, cum verba alterius ab altero dependere apparet; quod quomodo hic demonstrari possit, non video. — Quo de loco si recte iudicavi, iudicium simul fit de verbis ὁ δ' εἴσεται ἤθεα πατρός. Quod enim Theocritus cum externa quadam similitudinis specie de Ptolemaeo, patriae tutore Martis perito, profitetur ᾧ ἐπίπαγχυ μέλει πατρώια πάντα φυλάσσειν οἳ ἀγαθῷ βασιλῆι, τὰ δὲ κτεατίζεται αὐτός (104 sq.; cf. etiam vs. 63), non inusitate de praeclari patris filio, quam illius similis sit, praedicatur, nec inutiliter patris similitudo memoratur: παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται (Hom. β 276). Verbo hoc quoque tangam a Callimacho Philadelphum appellari θεόν (165), quem ad gradum blandiendi Theocritus non ascendit.

Alter locus, quem imitando expressisse arguitur, hic est: postquam Apollo in lucem editus est (ἔχθορεν 255), nymphae Deliae sacrum carmen cecinerunt tanta voce, ut sonos aether resonaret. Tum ne Iuno quidem iram Latonae servavit; omnia illo tempore et in Delo ipsa et circa eam auro fulgebant et abundabant; Delus

autem puero in sinu posito de se ipsa verba facit gaudio impleta; nam, ut ait, ἀπ' ἐμεῖο Δήλιος Ἀπόλλων κεκλήσεται, οὐδέ τις ἄλλη γαιάων τοσσόνδε θεῷ πεφιλήσεται ἄλλῳ — καὶ ἔσσομαι οὐκέτι πλαγκτή (266 sqq.). — Theocritus autem de Ptolemaeo haec scripsit: καί σε Κόως ἀτίταλλε βρέφος νεογιλλὸν ἐόντα, δεξαμένα παρὰ ματρός, ὅτε πρώταν ἴδες ἀῶ (58 sq.); ibi enim Berenice regem pepererat; postquam autem natus est filius, insula gaudio exsultans votum facit ὄλβιε κοῦρε γένοιο[1]), deinde optat sibi: τίοις δέ με τόσσον, ὅσον περ Δᾶλον ἐτίμασεν κυανάμπυκα Φοῖβος Ἀπόλλων· ἐν δὲ μιᾷ τιμᾷ Τρίοπον καταθεῖο κολώναν ἶσον Δωριέεσσι νέμων γέρας ἔγγυς ἐοῦσιν, ἶσον καὶ Ῥήναιαν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων (66 sqq.). Versum enim ἶσον καὶ Ῥήν. κτλ., quem Buechelerus (mus. rhen. 30, 59 sqq.) expunxit, apte a poeta ipso additum esse Vahlenus in scholis mihi persuasit: utinam tu et me honore afficias et simul mecum Triopium, sicut Apollo quoque praeter Delum amavit Rhenaeam insulam.

Iam utrumque poetam inter se comparantes hanc solam similitudinem agnoscimus, quod insula, ab altero Delus, Cos ab altero, loquens fingitur velut homo; ipsae autem orationes diversissimae sunt et verbis et argumentis: Callimachus pro more suo plura enumerat (οὐ Κερχνίς κτλ. 271 sqq.); apud Theocritum omnia breviora sunt et simpliciora. Deinde Delus insula solum gaudium ostendit, quod, quamvis sit δυσήροτος, tamen iam ex Apolline nomen clarum captura sit; at Cos non solum de suo ipsius honore cogitat, sed etiam votis puerum prosequitur. Theocritus igitur num a Callimacho didicit insulam facere loquentem? At nonne idem exemplum praebere ei potuit hymnus homericus, qui fertur primus, in quo et ipso verba Delo tribuuntur (61 sqq.)? Callimachus certe videtur mihi eum ante oculos habuisse; nam quae ibi leguntur χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα ἤνθησ' ὡς ὅτε τι ῥίον οὔρεος ἄνθεσιν ὕλης (135. 139; versus interpositi spurii videntur), ea amplificavit sic: χρύσεά τοι τότε πάντα θεμείλια γείνετο Δῆλε, χρυσῷ δὲ τροχόεσσα πανήμερος ἔρρεε

[1]) Cum structura ὄλβιε κοῦρε γένοιο praeter Eurip. Troad. 1221 aliquo modo conferri potest Aristophanes, qui in Avibus chorum facit sic Pisthetaerum appellantem: ὦ φίλτατ' ἐμοὶ πολὺ πρεσβυτῶν ἐξ ἐχθίστου μεταπίπτων (627 Kock.; cf. Wuestemann. p. 268 ad vs. 66). Idem dicit Θασίαν — λιπαράμπυκα (Acharn. 671) similiter ut Theocritus Δᾶλον κυανάμπυκα et Pindarus κυανάμπυκα Θήβαν (frg. 5 Boeckh.). —

λίμνη, χρύσειον δ' ἐκόμησε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης. χρυσῷ δ' ἐπλήμμυρε βαθὺς Ἰνωπὸς ἑλιχθείς (260 sqq.; paulo aliter Theogn. 8 sqq.). Idem dicit de Apolline nato: ὁ δ' ἔκθορεν (255), velut in hymno hom. legimus ἔκ δ' ἔθορε πρὸ φόωσδε (119; cf. 3, 20). Ibidem cum additur θεαὶ δ' ὀλόλυξαν ἅπασαι, haec verba fortasse quamvis tecte menti Theocriti obversabantur, cum post ὁ δὲ πατρὶ ἐοικὼς παῖς ἀγαπητὸς ἔγεντο pergeret Κόως δ' ὀλόλυξεν ἰδοῖσα (63 sq.; cf. quae de vs. 74 αἰδοῖοι βασιλῆες, ὁ δ' ἔξοχος κτλ. supra p. 33 exposui; cum verbis Theocriti Δᾶλον ἐτίμασεν κτλ. [67] cf. etiam hymn. hom. 1, 88: τίσει δέ σέ γ' ἔξοχα πάντων). Apud Theocritum igitur sola insula gaudio exsultat; apud Callimachum νύμφαι Δηλιάδες — εἶπαν Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος (256 sq.); apud illum Cos fingitur quam maxime poetice καθαπτομένα βρέφεος χείρεσσι φίλησιν (65), apud hunc de Delo legimus: αὐτὴ δὲ χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος εἷλεο παῖδα, ἐν δ' ἐβάλευ κόλποισιν (264 sq.).

Elucet iam, quam diverse haec omnia se habeant, quam diversa scribendi ratio fuerit in utroque poeta, ratione denique quam lubrica imitatoris Callimachi imitator statuatur is, qui Graecorum poetarum minime optimus, at aequalium certe fuerit ingeniosissimus ac simplicissimus. Nam qualis hic est imitator, qui semper magis poetica et praeclariora composuerit quam ea sunt, quae imitatus esse dicitur? Potius exspectaverim imitatorem inferiorem esse exemplis propositis, id quod affirmare possunt e c. Bion et Moschus Theocritum imitati. —

Iam quaestio oritur de temporibus carminum, quae modo tractavi. — Atque encomium Theocriteum, ut supra demonstrare studui, vix ante a. 270, certe non multo post, verisimiliter inter 270 et 266 scriptum est. De hymno autem Callimacheo in Iovem facto quid eruere possimus, nunc videbimus. Eius verba (58 sq.):

τῷ τοι καὶ γνωτοὶ προτερηγενέες περ ἐόντες
οὐρανὸν οὐκ ἐμέγηραν ἔχειν ἐπιδαίσιον οἶκον

aliquomodo ad Philadelphum spectare omnes fere senserunt, qui carminis tempus definiebant. Cur enim Callimachus multis et expressis verbis a vulgari fama discedens affirmaverit Iovem deorum regnum non sorte accepisse, sed suo ipsius robore, rebus a se fortiter gestis, nisi certo consilio id fecerit, intellegi nequit, praesertim cum idem in alio carmine, fortasse in Aetiis, illud men-

dacium poetarum a se vituperatum ipse secutus sit (cf. Mein. p. 130 sq. Schneid. II frg. 465). Philadelpho enim e Berenice nato constat Soterem patrem regnum tradidisse, cum Eurydicae, prioris uxoris, filios, inter eos natu maximum, Ceraunum, praeteriret (Droys. III. 1, p. 262 sqq.). Ceterum ad eam quam dixi versuum interpretationem facere etiam videntur mihi verba ἐπιδαίσιον οἶκον, quae varie a viris doctis explicata et coniecturis frustra, ut credo, temptata sunt, velut e. c. Schneiderus (p. 154) intellegit οἶκον ἐπιμεμερισμένον vel ἐπικεκληρισμένον, h. e. sorte tributum. At Callimachus ipse sibi refragaretur, si narraret non sortitione factum esse, ut Iovi domus sorte tributa obtingeret. Potius ἐπιδαίσιον nihil est nisi „attributum", sive sorte hoc fit sive hereditate sive alia ratione. Quare puto Callimachum, cum scriberet ἐπιδαίσιον οἶκον, quasi Iovi propter virtutem ipsi quoque a patre regnum tributum esset, velut Philadelpho a Sotere tributum est, duo inter se miscuisse atque in hoc vocabulo ponendo non tam de deo quam de rege cogitasse. Et fortasse poeta, cum versum ἀλλ' ἔτι παιδνὸς ἐὼν ἐφράσσαο πάντα τέλεια (57) de Iove dixisset, postea non sine consilio de Ptolemaeo praedicavit ἑσπέριος κεῖνός γε τελεῖ κτλ. (87 sq.), ut quodammodo comparatio inter utrumque fieret.

Iam si versus illos (τῷ τοι καὶ γνωτοὶ κτλ.) per se solos inspicimus, apte eos dici potuisse statim post regnum a Philadelpho possessum (a. 285) concedendum est. Et statuerunt sic Richterus (p. 1 sqq.) et Brinkerus (p. 70 sq.); cf. etiam Droysen. p. 264 adn. 2. Ille autem eo etiam progressus est, ut putaret ad ipsos dies festos, quibus rex imperium iniit, celebrandos hymnum compositum esse. Quae sententia ut ex illis verbis concludi non potest, ita totius carminis condicione refutatur, in quo ne verbum quidem legimus de regno modo inito; nam si usquam, certe hic e silentio poetae conicere aliquid possumus: nullo enim voto, nullo gaudii indicio regem ad regnum accedentem prosequitur, nihil a dis vel a Iove precatur pro eius felicitate et salute, neque omnino cum ipso imperii initio conveniunt haec: ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλές σφισιν, ἐν δ' ἅλις ὄλβον πᾶσι μέν, οὐ μάλα δ' ἶσον· ἔοικε δὲ τεκμήρασθαι ἡμετέρῳ μεδέοντι· περιπρὸ γὰρ εὑρὺ βέβηκεν (84 sqq.). Sed, ut iam dixi, a. 285 vel paulo post perapte pronuntiari poterant versus τῷ

τοι καὶ γνωτοὶ κτλ.: fratres quamquam natu maiores erant, admiserunt, ut Philadelphus regnum capesseret.

At qui factum est, ut Iovis fratres, ad hunc enim paulisper redeamus, paterentur eum οὐρανὸν ἔχειν ἐπιδαίσιον οἶκον? An sua sponte fratri minori tantam potestatis copiam concesserunt? Minime; sed Iovis virtute agnita regnum ei concedere tamquam coacti sunt: οὐ σὲ θεῶν ἐσσῆνα πάλοι θέσαν, ἔργα δὲ χειρῶν, σή τε βίη τό τε Κάρτος, δ καὶ πέλας εἷσαο δίφρου (66 sq.). Similiter Philadelphus propter praeclaram naturae indolem rex constitutus est fratribus sane invitis. Traditur enim post Soteris mortem (a. 283) Philadelphi vita ab Argaeo fratre petita esse; quo facto hunc esse interfectum. Alius, Eurydicae filius, cum Cyprum insulam ad deficiendum adduceret, ipse quoque morte punitus est. Acerrimus autem regis inimicus, Ceraunus, Alexandria relicta multa et apud Lysimachum et apud Seleucum ad Philadelphum a regno amovendum moliebatur, donec a. 280 in Gallorum bello mortem occubuit.

Apparet igitur verba τῷ τοι καὶ γνωτοὶ κτλ. posse etiam scripta esse post res, quas modo breviter monui, i. e. a. 280 vel statim post. Etsi enim nescimus, quando et Argaeus insidias regi fecerit et alius frater Cypri seditionem moverit, tamen haec non ita multo post regnum a Philadelpho initum accidisse verisimile est. Sed de harum rerum temporibus quidquid statuitur, maximo timore eoque vero rex exemptus est morte Cerauni. Quare non sine veritatis specie ponitur hymnum ca. a. 280 compositum esse. Quod enim huic sententiae aliquis opponere potest verba οὐκ ἐμέγηραν non recte dicta esse de fratribus interfectis, equidem non tantopere premam poetam nescimus quantum hoc loco blandientem; nam fortasse non falso Couatus (p. 204) dixit: „Callimaque ne fit peut-être qu' exprimer le sentiment général, en rappelant avec éloges le souvenir de ces tristes victoires“ (cf. etiam Justin. 16, 2). At postquam Ptolemaeus longioris temporis spatium regnavit atque propinquorum insidias metuere desiit, verba τῷ τοι καὶ γνωτοὶ κτλ. apte scripta esse nego. Quis enim non sentit, quam pravum esset blandimentum, quantopere claudicarent illi versus, si dicti essent eo tempore, quo omnino non erant, qui ius et auctoritatem regni Ptolemaei aggrederentur? Quare non assentior Hempelio (p. 88 sq.) statuenti hymnum scriptum esse brevi ante nuptias Philadelphi et

Arsinoae sororis celebratas: a. 266, vel si Wiedemanni rationes sequimur, paulo ante a. 271. Falso enim Droysenus, cui paruerunt Couatus (p. 205 sq.) et Hempelius, in hoc carmine ἱεροῦ γάμου mentionem desideravit (p. 266 adn. 1), deceptus verbis Theocriti (17, 131 sqq.). Quia enim is suo ingenio obsecutus illud matrimonium velut ἱερὸν γάμον celebrat praeeunte nullo, num inde vel aliquo iure concluditur debuisse ita loqui etiam Callimachum in eo carmine, in quo partem solam fabularum amplexus nihil dicit de amoribus Iovis, sed de sola eius infantia regnoque agit atque ad extremum Iovem et Ptolemaeum inter se quodammodo comparat? Neque igitur ex hoc silentio quidquam sequi recto iudicio iam Richterus breviter adnotavit (p. 1). Haec autem de matrimonio disputavi, non quod crederem post id hymnum scriptum esse, sed ut reicerem, quo in neutram partem quidquam probaretur.

Vidimus igitur verba τῷ τοι καὶ γνωτοὶ κτλ. apte dici potuisse ca. a. 285 et ca. a. 280. Itaque quaeritur, num quid ex aliis carminis verbis eruamus ad discrimen dirimendum. Et succurrere nobis videntur hi versus: οἱ δὲ τὰ μὲν πλειῶνι τὰ δ' οὐχ ἑνί (scl. τελοῦσιν), τῶν δ' ἀπὸ πάμπαν αὐτὸς ἄνην ἐκόλουσας, ἐνέκλασσας δὲ μενοινήν (89 sq.). Alter imprimis versus (90) fortasse docet carmen ca. a. 280 compositum esse, quoniam tum certe de aliis, maxime de Cerauno, ita loqui licuit; quamquam haec verba per se sola intellecta tam universe posita sunt, nihil ut inde concludi possit. Coniuncta tamen cum illis τῷ τοι καὶ γνωτοὶ κτλ. aliquam vim tribuere possunt sententiae hymnum a. 280 vel paulo post scriptum esse. Neque vero plura e versibus οἱ δὲ τὰ μὲν κτλ. elicienda sunt, velut non recte Hempelius (p. 89) de „compluribus bellis feliciter gestis“ cogitavit: quae ut per se inesse posse nemo negabit, ita inesse debere non poterit probari. Idem de verbis περιπρὸ γὰρ εὐρὺ βέβηκεν (86) iudicandum est. Omnino haec verba non historici sunt sed poetae et eius quam maxime blandientis resque nimis amplificantis. Quare non obstant, quominus carmen ca. a. 280 scriptum sit, praesertim cum iam a. 280 Philadelpho contra Seleucum res prospere cessissent et Syriae pars obtigisset (cf. Droys. p. 256).

Obstare autem fortasse alicui videbitur aetas Callimachi, quae ipsa quoque causa fuit, cur Hempelius (p. 88) longiore tempore post a. 280 carmen scriptum esse statueret. At non accurate

scimus, quo anno poeta natus sit, utrum a. 310 an 305 an 300; medium si ponimus cum Couato (p. 45), a. 280 annos natus erat fere viginti quinque. Hac autem aetate quin hunc hymnum pangere potuerit, equidem nihil dubito. Intellegitur enim e maximo numero librorum diversissimorum Callimachum, quidquid de arte eius poetica iudicatur, virum certe ingenti ingenii vi et indole praeditum, mature adultum et aetate iuvenili summa doctrina multisque mentis facultatibus instructum fuisse. Neque opus est arbitrari eum, cum hymnum componeret, habitasse iam Alexandriae: nam etiamsi Eleusine prope urbem in schola munere suo fungebatur, facile moveri poterat, ut carmen in Iovem scriberet eique laudes regis insereret. Mera enim libidine ponitur poetam hymno scripto Philadelphi „favorem sibi acquisivisse“ (Hemp. p. 88) aut composuisse eum „pour un concours poétique“ (Couat. p. 207); quae omnia unde hausta sint, ego ignoro.

Quare non timeo, ne nimiae audaciae coarguar neve nimis a veritate aberrem, cum pono hymnum in Iovem scriptum esse ca. a. 280. Certius non affirmaverim.

Quodsi quis erit, qui versus τῷ τοι καὶ γνωτοὶ κτλ. Philadelphum spectare neget, nihil restat argumenti ad carminis tempus eruendum nisi versus οἱ δὲ τὰ μὲν κτλ., quibus per se solis, ut iam dixi, nihil evincitur, quia nescimus, utrum de fratribus interfectis an de bellis prospere gestis dicta sint. —

Restat, ut in tempus hymni alterius inquiramus. In eo inde a vs. 171 Apollo ἔτι ὑποκόλπιος (86) vaticinatur sibi aliquando ξυνὸν ἄεθλον cum Ptolemaeo futurum esse, cum Celtarum copiae innumerabiles Graeciam invadent atque usque ad Delphos clipeos ferent (ἀσπίδας), τέων αἱ μὲν ἐμοὶ γέρας αἱ δ' ἐπὶ Νείλῳ ἐν πυρὶ τοὺς φορέοντας ἀποπνεύσαντας ἰδοῦσαι κείσονται, βασιλῆος ἀέθλια πολλὰ καμόντος ἐσσόμεναι (185 sqq.). Apparet carmen scriptum esse post pugnam Delphicam, qua Celtae gravissimam cladem acceperunt Apolline ipso ut Graecorum fama ferebat auctore et adiutore (cf. Droys. II. 2, p. 350 sq.). Hanc victoriam Droysenus statuit fuisse ante mensem Iulium anni 278 (p. 351 adn. 2). Quomodo autem verba αἱ δ' ἐπὶ Νείλῳ κτλ. intellegenda sint, docet scholiasta ad vs. 175 haec adnotans: . . . . Ἀντίγονός τις φίλος τοῦ Φιλαδέλφου Πτολεμαίου προξενεῖ αὐτοὺς (scl. Celtas) αὐτῷ ὥστε ἐπὶ μισθῷ στρα-

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF

τεύεσθαι· καὶ γὰρ ἔχρηζεν ὁ Πτολεμαῖος τούτου τοῦ στρατεύματος· οἱ δὲ ὁμοίως (scl. ὡς τοῦ θεοῦ τὰ χρήματα, Delphis) ἠβουλήθησαν καὶ τοῦ Πτολεμαίου διαρπάσαι τὰ χρήματα· γνοὺς οὖν συλλαμβάνει αὐτοὺς κτλ. Quaestio igitur fit, quo anno Antigonus Gonatas — is enim intellegendus est — mercennarios Gallos Philadelpho miserit; quae res mihi valde dubia est, etsi certos annos statuere non dubitabant. Atque Antigonum, apud quem post victoriam Delphicam Celtarum reliquiae militabant, copias Ptolemaeo misisse non ante res Macedoniae constitutas, i. e. non ante a. 277, verisimiliter ponitur (Droys. III. 1, p. 194. 270 adn. 2). Num vero a. 276 miserit, ut Koeppius (l. l. p. 212) putat, pro certo affirmari nequit; nam etiamsi verum est Gallos post Macedoniam receptam Antigono molestos fuisse, ita ut eos a se amovere cuperet, tamen non prius Philadelpho mittere potuit, quam ab eo ut mitteret peteretur. Quod autem scholiasta de Gonata dixit Ἀντίγονός τις φίλος — Πτολεμαίου (Droys. 270 adn. 2), cavendum est, ne quid e vocabulo φίλος concludatur, quia Antigonum illi scholiastae parum notum fuisse ipsa dicendi ratio demonstrat, velut de Arato in schol. cod. k ad Theocr. 6, 1 legimus: προσδιαλέγεται Ἀράτῳ τινὶ φίλῳ ἑαυτοῦ ὁ Θεόκριτος[1]).

Iam quaeramus, num terminum eruere possimus, ante quem Celtas in Aegyptum venisse necesse sit. Atque cum id non potuerit fieri eo tempore, quo Antigonus et Philadelphus inimicitiis segregati erant, mercennarii missi sunt ante bellum Chremonideum, quo Ptolemaeus Atheniensium socius erat contra Antigonum (Droys. p. 232). Sed cum huius quoque belli tempus varie definiatur, a Droyseno 266—3, ab Hempelio inde ab a. 264, hoc discrimen nobis expediendum esset, nisi titulo quodam[2]) adiuvaremur: in eo enim ἐπὶ Πειθιδήμου (?) ἄρχοντος scripto, quem archontem Dittenbergerus[3]) olymp. 128, 2 vel 3 tribuit (267/6 vel 266/5) — Rangabis antea statuerat inscriptionem factam esse inter ol. 127, 2 (271/0) et 128, 4 (265) —, etiamnunc exstat foedus inter Athenienses et Lacedaemonios factum, ὅπως ἂν οὖν κοινῆς ὁμονοίας γενομένης

---

[1]) Cf. Buecheler. mus. rhen. 39, 1884, p. 277. —

[2]) C. I. Att. II. 1, no. 332. —

[3]) Herm. II 301. 306. —

τοῖς Ἕλλησι πρός τε τοὺς νῦν ἠδικηκότας καὶ παρεσπονδηκότας τὰς πόλεις πρόθυμοι μετὰ τοῦ βασιλέως Πτολεμαίου καὶ μετ' ἀλλήλων ὑπάρχωσιν ἀγωνισταὶ καὶ τὸ λοιπὸν μεθ' ὁμονοίας σῴζωσιν τὰς πόλεις . . . . Ad ἠδικηκότας κτλ. autem imprimis Antigonum referendum esse ipsum bellum Chremonideum exortum ostendit. Ptolemaeus igitur in hoc titulo memoratus, cum foederis partes haberet atque etiam fortasse eius auctor existeret (cf. vs. 16 sqq.), tum temporis Antigono infestus erat. Quodsi reputamus, quanti sine dubio Philadelphi interfuerit, ne potestas Macedoniae nimia fieret, facile concedetur iam pluribus annis ante ab amicitia Antigoni eum recessisse et favisse causae Graecorum. Quare cum post Pyrrhi mortem (272) celeriter Antigonus summam in Graecia potentiam adipisci inciperet, verisimiliter statuere mihi videor non post a. 270 Celtarum manum in Aegyptum venisse. Neque omnino probabile est nimis longo temporis intervallo post proelium Delphicum Antigonum, quippe qui multis deinceps pugnis occupatus esset, tot mercennarios — erant autem fere quattuor milia — Ptolemaeo misisse. Itaque si quis contenderit, quoniam bello cum Pyrrho gesto magnam virium partem Gonatas perdiderit, ne post a. 272 quidem ab illo Gallos esse missos, me non repugnantem habebit. Sed volui demonstrare inter a. 277 et 270 certum annum adhuc definiri non posse.

Hos autem Celtas scholiasta ille tradit voluisse τοῦ Πτολεμαίου διαρπάσαι τὰ χρήματα. Id auctore Pausania (I, 7, 2) factum est eo ipso tempore, quo Ptolemaeus cum Maga bellum gerebat; hunc enim se subito recipientem persequi Gallorum seditione prohibitus est. Hoc autem bellum, ut supra p. 14 sq. exposui, utrum cum Koeppio ca. a. 275 an cum Wiedemanno paulo ante a. 265 fuisse statuendum sit, plane incertum est; quamquam mea opinione verisimilius illud ponitur quam hoc. Ponamus nunc statim a. 277 Celtas in Aegyptum missos esse, statim post seditionem fecisse, statim denique post Callimachum hymnum scripsisse, apparet hoc factum esse non ante a. 276. Sin autem bellum cum Maga ca. a. 266 gestum est, ita ut mercennarii, cum κατασχεῖν Αἴγυπτον (Paus.) vellent, iam aliquod tempus apud Ptolemaeum stipendia meruissent, id quod fieri potuisse negari nequit, hymnus ca. a. 264

scriptus est[1]); neque enim facile credemus multo post Gallorum stragem Callimachum eius mentionem fecisse quasi facti alicuius singularis.

Cum igitur iudico carmen, de quo egimus, compositum esse inter 276 et 264, spatium non tam artum pono, quam posuit Couatus, cum inter a. 274 et 272 hymnum conditum esse diceret (p. 216: „presque avec certitude"), neque ego quidem acquiesco in certo anno, velut Hempelius (p. 91) ca. a. 271, Brinkerus (p. 69 adn. 1) ca. a. 272 Callimachum Delum celebrasse statuit, sed cavendum quam maxime duxi, ne in re tam incerta nimis certa scire videremur. Ceterum quod poeta praedicat: in Ptolemaei potestatem venient ἀμφοτέρη μεσόγεια καὶ αἳ πελάγεσσι κάθηνται κτλ. (168 sqq.), inde nihil efficitur, quod quidem valeat ad tempus carminis terminandum, quia omni regis aetate sic blandiri ei licebat.

Duorum igitur Callimachi hymnorum alter aetate maior est encomio Theocriteo; alter autem, hymnus Delius, potest fieri, ut post id carmen scriptus sit[2]). Sed sive Theocritus utrumque hymnum cognitum habuit, sive alterum, imitatione eum expressisse hos hymnos, cum scriberet carmen ad Ptolemaei laudes celebrandas, videor mihi supra non obiter tantum redarguisse. —

Quodsi nonnumquam similitudines inter utrumque poetam inveniuntur, mirum non videbitur reputanti eiusdem aetatis moribus et condicionibus, simili res humanas litterasque aestimandi ratione fuisse eos coniunctos. Velut illorum temporum poetae vasta opera nimio sudore moliti et a Callimacho (2, 105 sqq. Ep. 8) et a Theocrito (7, 45 sqq) perstringuntur. Deinde quod ille Musam sic appellat: εἰπὲ θεά, σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείσω (3, 186), in mentem legentibus venire possunt haec a Theocrito dicta: εἰπὲ θεά, σὺ γὰρ οἶσθα, ἐγὼ δ' ἑτέρων ὑποφήτης φθέγξομαι, ὅσσ' ἐθέλεις σύ, καὶ ὅππως τοι φίλον αὐτῇ (22, 116 sq.). Verba autem ἐγὼ δ' ἑτέρων ὑποφ. multos criticos vexabant; et re vera, si quidem significant Musarum vel dearum vel deorum interpretem, post unam Musam appellatam, de qua sola in sequente quoque versu verba fiunt, haud

---

[1]) Iam Droysenus (p. 306 adn. 1) quamvis dubitanter suspicatus erat carmen anno fere 265 scriptum esse. —

[2]) Cf. de Wilamowitz. Antig. v. Kar. p. 220 adn. 41. —

apte posita sunt; neque igitur aptiora essent haec a Jacobsio coniecta: ἐγὼ δὲ θεῶν ὑποφ. Quae causa fuit, cur Meinekius quamvis dubitanter proponeret ἐγὼ δὲ τεῦ ὢν ὑποφ. et similiter Hillerus ἐγὼ δ' ἑὸς ὢν ὑποφ. Haec autem requirebant, „quod ὑποφήτης boni scriptores et ipse Theocritus non dicunt nisi addito genetivo dei deaeve, cuius quis interpres est" (Mein. p. 492). At tale aliquid simile hoc quoque loco vocabulo ὑποφήτης ut addi potuisse non nego, ita addi debuisse non iudicaverim. Etenim quod Theocritus 16, 29 scripsit Μουσάων — ἱεροὺς ὑποφήτας et 17, 115 Μουσάων δ' ὑποφῆται, si quis locos inspexerit, sentiet omissa Musarum notione non apparere, cuius intellegendi sint ὑποφῆται. Quod idem cadit in alios locos (cf. Arat. 164. Apoll. Rhod. 1, 1311. Fritzsch. ad Theocr. 16, 29). At in verbis εἰπὲ θεά, σὺ γὰρ οἶσθα, ἐγὼ δὲ — ὑποφήτης φθέγξομαι — cuius interpretem poeta se nominet, nemini potest esse obscurum. Quare ego Meinekio non oboedio neque oboedivisset Lachmannus, qui iam a. 1816 proposuerat ἐγὼ δ' ἐπέων ὑποφ. (Propert. p. 90 sq.). Hae coniecturae omnes inde enatae sunt, quod putabant ἑτέρων esse genetivum quem dicunt subiectivum. Viam vero diversam ingressus Hemsterhusius primus scripsit ἑτέροις pro ἑτέρων eique Ahrensius assensit. Ego quoque assentirer, si mutationem hanc non facilem, quippe qua mendi origo non explicetur, necessariam esse mihi persuaderem. Ut breviter dicam: equidem cum Kiesslingio puto ἑτέρων vocabulum non temptandum esse et genetivum intellegendum esse obiectivum: dic Musa, tu enim scis, ego vero interpres aliis constitutus cantabo etc.; quam eandem sententiam Callimachus expressit: εἰπὲ θεά, σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείσω. Vides mea interpretatione locum Theocriteum Callimacho etiam similiorem fieri; at imitatio alterius non agnoscenda est in his sententiis non inusitatis; Pindarus quidem dixerat: μαντεύεο Μοῖσα, προφατεύσω δ' ἐγώ (frg. 118 Boeckh.); cf. Hom. B 484 sqq.; Apoll. Rhod. 4, 1379 sqq.

Uterque igitur poeta eandem de Musis sententiam expressit; sunt alia, quae alter communia habet cum altero; velut illud de Megarensibus sive Aegiensibus (cf. Suid. s. v. ὑμεῖς ὦ Μεγ.) proverbium, quibus quaerentibus Pythia responderat esse eos οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ. Atque Callimachus dicit: τῆς δὲ ταλαίνης νύμφης ὡς Μεγαρέων οὐ λόγος οὔτ' ἀριθμός (Ep. 25, 5 sq.); liberius

autem Theocritus proverbio utitur sic: ἄμμες δ' οὔτε λόγω τινὸς ἄξιοι οὐδ' ἀριθμητοί, δύστηνοι Μεγαρῆες ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρῃ (14, 48 sq.). Vel quod Polyphemus Theocriteus 11, 75 loquitur τί τὸν φεύγοντα διώκεις forma usus masculina, etsi verba τὸν φεύγοντα spectant ad Galateam, haec e proverbio sumpta esse eo verius conicitur (cf. Fritzsch. et Hill.), quo similius Callimachus dicit: χοὐμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται (ep. 31, 5 sq.); nam propter τὰ δὲ positum est τὰ μὲν, quamquam per se proverbio indicando melius inservivisset τὸ μὲν.

Tum eaedem apud utrumque leguntur comparationes: velut Delus insula vel, ut prisco nomine appellabatur, Ἀστερίη fingitur a Callimacho οὐρανόθεν φεύγουσα Διὸς γάμον ἀστέρι ἴση (4, 38); Hylas autem in fontem incidit ὡς ὅτε πυρσὸς ἀπ' οὐρανοῦ ἤριπεν ἀστὴρ ἀθρόος ἐν πόντῳ κτλ. (13, 50 sq.), quo loco Theocritus rei illustrandae causa plura adnectit. Comparatione astri de coelo delapsi utitur etiam Apollonius Rhodius 3, 1376 sqq. Vel de Erysichthone fame continua vexato legimus: ὡς δὲ Μίμαντι χιών, ὡς ἀελίῳ ἔνι πλαγγών, καὶ τούτων ἔτι μεῖζον ἐτάκετο (Call. 6, 92 sq.); et Daphnis amore perditus χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἶμον ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα (Theocr. 7, 76 sq.). Ut hic in fine versus Theocritus posuit ἐσχατόωντα, ita eadem forma usus Callimachus scripsit: Τιτῆνες ἀφ' ἑσπέρου ἐσχατόωντος (4, 174; cf. ad hunc locum Mein. et Schneid.; ad Theocr. l. l. Ahrens.). In hac autem nivis comparatione praeivit iam Hom. τ 205 sqq., quem locum Fritzschius laudat.

Alius generis similitudines hae sunt: Callimachus cum exponit, quanto amore prae ceteris nymphis matrem Tiresiae olim Minerva amplexa sit, dicit: καὶ οὔποκα χωρὶς ἔγεντο (5, 59); et Theocritus de Hercule Hylam amante scripsit: χωρὶς δ' οὐδέποκ' ἦς (13, 10). Tamen quamvis similia inter se haec verba videantur, quam diverso uterque poeta ingenio fuerit, ex his locis dignosci potest. Callimachus enim vocem οὔποκα affirmaturus per complures versus (60—64) docte ut solet earum urbium nomina enumerat, ad quas vecta πολλάκις ἁ δαίμων νιν ἑῶ ἐπεβήσατο δίφρῳ (65). Aliter autem Theocritus suum vocabulum οὐδέποκα de temporibus ita explicat, ut mythologiae rebus cum vita cotidiana coniunctis (Couat. p. 435) dicat Herculem sine Hyla fuisse neque tum, cum summus dies

esset, neque cum Aurora ad caelum ascenderet neque vespere: οὔθ' ὁπόκ' ὀρτάλιχοι μινυροὶ ποτὶ κοῖτον ὁρῷεν σεισαμένας πτερὰ ματρὸς ἐπ' αἰθαλόεντι πετεύρῳ (12 sq.). Deinde Callimachus ab Apolline sic fecit serpentem Pythicum interemptum: τὸν μὲν σὺ κατήναρες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν (2, 101 sq.). Ut hic αἰνὸς ὄφις interficitur, ita similiter apud Theocritum ab Hercule sagittis petitur λῖς αἰνός (25, 227). Uterque igitur, et Apollo et Hercules, fingitur sagittas semel plus in monstrum misisse, etsi apud Theocritum non paucis verbis sed accuratissima singulorum descriptione Hercules rem a se gestam enarrat; praeterea hoc discriminis intercedit, quod Hercules beluam non ut Apollo solis sagittis occidit, sed his frustra operam molitus clava demum exanimantem efficit. Quare si quis in his locis alterum poetam ab altero pendere putaverit, maiore iure Callimachus imitator statuetur; quamquam ne id quidem opus est, quoniam ab eius ingenio mira haec de deo immortali narratio non abhorret; simplicius enim et dei naturae aptius in hymno hom. uno ictu draco necatur (2, 179 sq.).

Sed quaeramus, num forte alia exstent vestigia necessitudinis inter utrumque poetam intercedentis. Atque Callimachus cum epigr. 46 scribit: ὡς ἀγαθὰν Πολύφαμος ἀνεύρετο τὰν ἐπαοιδὰν τὠραμένῳ· ναὶ γᾶν οὐκ ἀμαθὴς ὁ Κύκλωψ. αἱ Μοῖσαι τὸν ἔρωτα κατισχναίνοντι Φίλιππε· ἦ πανακὲς πάντων φάρμακον ἁ σοφία, potest fieri, ut Theocriti carmen XI venustate praeclarum tetigerit (cf. Fritzsch. I p. 342; Hill. ad vs. 17); quamquam certum hoc non est, quia a Philoxeno quoque idem argumentum tractatum esse constat (cf. schol. ad Theocr. 11, 1; Bergk. poet. lyr. III[4] p. 609 sqq.). Ceterum Theocriti carmen vulgatum fuisse e Bionis carmine II cognoscitur. — Accedimus ad aliud Callimachi epigramma, quod totum exscribo (52):

Τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον, εἰ μὲν ἔμ' ἔχθει,
τετράκι μισοίης· εἰ δὲ φιλεῖ, φιλέοις.
ναιχὶ πρὸς εὐχαίτεω Γανυμήδεος, οὐράνιε Ζεῦ,
καὶ σύ ποτ' ἠράσθης, οὐκέτι μακρὰ λέγω.

Mirum est, quod nonnulli viri docti[1]) hoc epigramma ad Theo-

[1]) Fritzsch ad 8, 56 h; O. Ribbeck. l. l. p. 85; Hempel. p. 40; alii. —

critum, poetam bucolicum, pertinere putant. Etenim poeta ut secum Iovem comparat, ita cum Theocrito illo confert Ganymeden: Iuppiter, Theocritum oderis, si me odit; sin me amat, amaveris; nam tu conscius es dolorum, quos Ganymedis amor olim tibi paravit; proinde mihi nunc succurras, qui et ipse pueri amore vexatus sum. Quem carminis sensum si recte explicavi, de Theocrito Syracusano nullo modo posse cogitari apparet; nam qui tandem accidere potuit, ut poetarum aequalium alter alterius tamquam pueri amore caperetur? Quasi Iuppiter cum puer esset puerum Ganymeden amasset aut aetate adultus virum rapuisset. Hoc tam ridiculum est quam si Theocritus vice versa in carmine illo amoenissimo (XXIX) verbis ὦ φίλε παῖ (1) intellegi voluisset Callimachum Cyrenensem. De pueri autem amore in illo epigrammate agi eo quoque firmatur, quod usitata Ganymedis comparatio nisi de paedicantibus non legitur; nam Theognis 1345 sqq. dicit: παιδοφιλεῖν δέ τι τερπνόν, ἐπεί ποτε καὶ Γανυμήδους ἤρατο καὶ Κρονίδης κτλ.; cf. etiam Anth. Palat. XII, 65. 69. 133; etc. Quare si quid certum est, hoc mihi est certissimum τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον non esse poetam bucolicum. Ad falsam autem opinionem ducti sunt, ni fallor, similitudine, quae exstare videtur inter Callimachum et Theocriti versus hos: δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός, ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα, ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος· ὦ πάτερ ὦ Ζεῦ, οὐ μόνος ἠράσθην, καὶ τὺ γυναικοφίλας (8, 57 sqq.). De horum versuum auctore etsi dubitatur, tamen hanc stropham sive Theocritus scripsit sive alius, Callimachus in epigrammate non imitatus est: is enim mentionem facit Iovis non γυναικοφίλου sed παιδεραστοῦ. Neque verius in contrariam partem iudicatur ex his Callimacheis Theocritum sive alium quendam illos versus efformavisse, ut Valckenaerium secutus Brinkerus putat (p. 28). Quae sententia eo magis ei probanda videtur, quod in Anth. Palat. complures auctores amorem suum tueantur exemplo Iovis φιλόπαιδος. Hoc quantum valeat inde intellegitur, quod in Theocriteis illis Iuppiter φιλόπαις nullo verbo tangitur et „interpolator“ Daphnidis causa prorsus scite παρθενικᾶς ἁπαλᾶς ac deinde Iovis γυναικοφίλου mentionem facit. Omnino ut in suo carmine Callimachus usus est comparatione haud rara, ita Theocritus sive poeta Theocriteus morem comparandi secutus est divulgatum; nam apud Aristophanem

in Nub. (1079 sqq.) λόγος ἄδικος suadet: μοιχὸς γὰρ ἦν τύχης ἁλούς, τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτόν, ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας· εἶτ' εἰς τὸν Δί' ἐπανενεγκεῖν, κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν; vel Asclepiades (Anth. Pal. V, 64) dicit: ἕλκει γάρ μ' ὁ κρατῶν καὶ σοῦ θεός, ᾧ ποτε πεισθείς, Ζεῦ, διὰ χαλκείων χρυσὸς ἔδυς θαλάμων; Anth. Pal. V, 34. 100. 109. 125 etc.; hymn. hom. 4, 36 sqq.; al.

In his igitur Callimachus et Theocritus nihil commune inter se habent. — At quod hic de Berenice, matre Philadelphi, dicit ἀρίζηλος Βερενίκα (17, 57), de Wilamowitzius[1]) censuit hunc versum a Callimacho in memoriam revocatum esse, cum de Berenice certe alia, fortasse Cyrenensi, quae sponsa erat Euergetae, scriberet: εὐαίων ἐν πᾶσιν ἀρίζαλος Βερενίκα (epigr. 51). Concedi potest Callimachum fortasse e recordatione versus olim lecti idem epitheton posuisse; potest etiam casui similitudo deberi. Poetam autem nomen ἀρίζαλος repetiisse, ut alteram Berenicen aequaret cum altera, θεᾷ σωτείρᾳ, propterea non putaverim, quod neque in vocabulo ἀρίζαλος quidquam singulare agnoscitur et dubium est, an verba Theocritea e contextu sumpta tam nota fuerint, ut Callimachus uti eis posset memoriae revocandae causa. Sed etiamsi hoc viro docto concedatur, tamen vocabulum propterea quoque repetitum esse, ut Theocrito blandiretur signo tamquam approbationis dato, id nego, quia in Berenice non eadem sed alia celebranda mirum esset blandimentum, quasi Theocritus in suo versu aliquid egregii et inauditi enuntiasset. Quae cum ita sint, ad de Wilamowitzii sententiam approbandam ne e dorica quidem dialecto quidquam concluditur, qua Callimachus non in hoc epigrammate solo usus est (cf. epigr. 55. 59. 60); dorice scriptum est etiam epigr. 46: ὡς ἀγαθὰν Πολύφαμος, quod fortasse ad Theocritum respicere supra dixi. — In reliquis autem quae tractavi, nihil necessitudinis inter utrumque poetam demonstrari potest, nisi forte vere statui, quod pro vero affirmari nequit, Callimachum in verbis ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ βάλλων ὠκὺν ὄϊστόν (2, 101 sq.) aliquo modo in memoria tenuisse quae Theocritus de leone Nemeaeo interfecto descripserat in c. XXV, ad quod carmen nunc paulisper redeo[2]).

---

[1]) Herm. 14, 1879, 200 adn. 1. —

[2]) Nihil moror coniecturam nimis incertam (Haeberlin. p. 52. 57)

Brinkerus enim (p. 65 sq.) contra atque ego iudicans suspicatur, quod Callimachus scripserit epyllion Ἑκάλην, Theocritum eius exemplo excitatum ipsum quoque descendisse ad epyllion componendum. Quae opinio utrum vera sit an falsa, disceptare non ausim; certe non probabitur eo modo, quo probare vir doctus conatus est; qui, ut alia omittam, cum verbis Theocriti (278 sq.) καὶ ἀμφεθέμην μελέεσσιν ἕρκος ἐνυαλίου ταμεσίχροος ἰωχμοῖο comparat fragmentum Callimacheum (142): τὸ δὲ σκύλος (sic Schneid.) ἀνδρὶ καλύπτρη γιγνόμενον, νιφετοῦ καὶ βελέων ἔρυμα: unde nihil concludendum est, quoniam ut verba diversa sunt, ita res in eiusdem argumenti descriptione eadem esse poterat, si quidem Herculem leonis pelle vestitum innotuisse constat.

Idem Brinkerus (p. 9 adn. 1) censet „sine dubio“ Callimacheum versum Μουσάων ὄρνιθες ἀοιδότατοι πετεηνῶν (4, 252) Theocritum imitatum esse, cum 7, 47 scriberet καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες et 12, 7 ἀοιδοτάτη πετεηνῶν. At qui hoc modo imitationes venantur, parum videntur cogitare, qualem Theocritum fingant, quam pauperem ingenio, quam vel aliqua laude nostra indignum, illum poetam, quem incomparabili modo Goethius praedicavit „den Blumen singenden, Honig lallenden, freundlich winkenden Theokrit“. Velut hic temere poeta arguitur ex uno versu Callimacheo duos fecisse pannos eosque locis plane diversis assuisse. Nam apud Callimachum verba de cycnis natum Apollinis cantantibus dicta sunt; apud Theocritum vero Μοισᾶν ὄρνιχες non cycni neque lusciniae, ut falso voluit Schneiderus (p. 315), sed propter vocabulum κοκκύζοντες[1]) intelleguntur cum contemptu quodam et irrisione Musarum galli gallinacei, qui adversus Homerum κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι. Cur igitur verba Μοισᾶν ὄρνιχες non suo ingenio debere poterat is, qui tamquam oppositionis causa paulo ante (vs. 37) scripserat Μοισᾶν καπυρὸν στόμα? Verbis autem ἀοιδοτάτη πετεηνῶν luscinia nominatur sensu proprio et prorsus e more; nam Euripides dicit

caprarium idyllii III et Battum id. IV intellegendum esse Battiaden, h. e. Callimachum. —

[1]) κοκκύζειν propria vox est de gallorum cantu; velut Sophocles dixerat κοκκυβόας ὄρνις (frg. 718 Nauck); cf. Cratin. frg. 311 (Kock.): κοκκύζειν τὸν ἀλεκτρυόν' οὐκ ἀνέχονται; Plat. com. frg. 209; etc. Cf. etiam V. Hehn. „Kulturpflanzen u. Hausthiere“[2], p. 523. —

(Hel. 1109 sq.): τὰν ἀοιδοτάταν ὄρνιθα μελῳδὸν ἀηδόνα; idem vocabulum Phanocles posuit de Lesbo insula (frg. 1, apud. Stob. 64, 14, vs. 22): πασέων δ' ἐστὶν ἀοιδοτάτη; et Eupolis, poeta comicus, Alcaeum, ut putat Meinekius (com. gr. II. 1, p. 540), appellaverat ὦ κιθαραοιδότατε (frg. 293 K.). — Quodsi in his Theocritus imitator fuit, eodem iure alia haud pauca e Callimacho arripuit. Etenim Callimachus dicit πεδία Κρισαῖα καὶ ἤπειροι . . . ἀμφιπεριστείνωνται scl. Gallorum multitudine (4, 178 sq.), Theocritus: στείνοντο δὲ πίονες ἀγροί scl. gregibus Augiae e pascuo redeuntibus (25, 97), unde apparet locum Theocriteum falso coniecturis temptatum esse; ille de Delo insula: ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι (4, 16), hic de Ptolemaeo: ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω (17, 3): in quibus si quis imitationem captare volet — miror enim adhuc neminem captasse —, hoc quoque argumento abuti poterit Theocritum inconcinne dixisse ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω καὶ πύματος καὶ μέσσος, nimirum ut exemplum suum quam fidissime exprimeret! In eiusdem carminis vs. 75 dicit γεινόμενον τὰ πρῶτα, similiter Callimachus 3, 23: γεινομένην τὸ πρῶτον; vs. 104 ille πατρώια πάντα φυλάσσειν, ut Callimachus de Minerva πατρώια πάντα φέρεσθαι (5, 133; cf. Hom. π 388); vs. 136 sq.: ἔπος οὐκ ἀπόβλητον φθέγξομαι, ut alter φθέγξατο δ' οὐκ ἀτέλεστον (4, 87; cf. Hom. B 361). Vides, credo, quam multa in hoc uno carmine XVII Theocritus imitatus sit aliis aliunde congestis! Deinde de homine amore tosto Callimachus loquitur: ὤπτηται μέγα δή τι (epigr. 43, 5), Theocritus: ὀπτεύμενον ἐξ Ἀφροδίτας (7, 55; cf. 23, 34). Ille exclamat τάλαν, τάλαν (epigr. 30, 1), et eadem verba duplicata leguntur apud hunc 6, 8 eadem versus sede ante caesuram bucolicam. Et possunt alia eiusmodi investigari, quae nunc praetermitto.

Unus locus restat, de quo pauca disputabo: cum enim Callimachus Apollinem dicentem faciat (4, 98) εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην et in carmine Theocriteo XXVI legatur hic versus (30): αὐτὸς δ' εὐαγέοιμι καὶ εὐαγέεσσιν ἄδοιμι, „ex aperta Callimachi imitatione" de Wilamowitzius conclusit poema non Theocriti esse sed imitatoris, ut tradit Knaackius[1]). Multo igitur consideratius vir ille sagacissimus iudicat Theocritum non esse imitatorem Calli-

[1]) „Analecta Alex. — Rom.", diss. Gryphisw. 1880, p. 58 adn. 81. —

machi. Tamen quaeritur, num opus sit tantum efficere ex hac verborum similitudine: ea enim inde evadit, quod idem fere vocabulum repetitur; hoc autem fit prorsus e more Theocriti, qui 18, 53 scripsit: ὡς ἐξ εὐπατριδᾶν εἰς εὐπατρίδας πάλιν ἔνθη; 17, 42: ὁπότε κεν φιλέων βαίνῃ λέχος ἐς φιλεούσης; 22, 56. 119; particula autem καί post caesuram ante verbum repetitum posita est, velut 15, 149: χαῖρε Ἅδων ἀγαπητέ, καὶ ἐς χαίροντας ἀφίκευ; 11, 63. 17, 1; alia exempla vide apud Fritzsch. ad 2, 113 Etiam exitus utriusque hemistichii aeque sonantes (εὐαγέοιμι-ᾄδοιμι) Theocritei sunt, cuius usus exempla Fritzschius contulit. Denique sensum verborum apud Theocritum aptissimum esse elucet; certe apud alterum poetam non aptior est; immo quod ipse deus de se praedicat εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην, haec non tam veritatis speciem prae se ferunt quam dicendi alicuius formulae vel sonantium verborum captationis. Quare ex uno versu non licebit totum carmen Theocrito abrogare; hoc certe me iudice constat, quicunque scripsit αὐτὸς δ' εὐαγέοιμι κτλ., de suo haec eum scribere potuisse, non alius cuiusdam verba imitatum esse.

Sed desinam de Callimachi imitationibus disputare; satis autem habebo, si hac commentatione, quam conscribi nollem umquam opus fuisset, aliis prudenter iudicantibus videbor Theocritum turpissimo crimine liberavisse. —

THESES.

1. In conscribendo prooemio carminis XXII Theocrito hymnum hom. XXXIII obversatum fuisse, ut Baumeisterus statuit (p. 369 sq. 103), demonstrari nequit.
2. In Theocr. carm. XIII versus 24 genuinus est. Locum sic intellego: Argo Cyaneas transvolavit tanta celeritate (διεξάϊξε), quanta aquila volat per mare vastum.
3. Pastores rusticosque nonnumquam nimis docte loquentes a Theocrito fingi firmatur etiam 1, 56 sq.; nam etsi facili mutatione aliquis scribere poterit αἰόλον ὅν τι θέαμα τέρας κέ τυ θ. ἀτ., tamen puto verba Αἰολικόν τι θέαμα et πορθμεῖ Καλυδωνίῳ, ut quae inter se tueantur, servanda esse.
4. 24, 114 Theocritus fortasse ipse memoria deceptus Ἁρπαλύκῳ scripsit pro Αὐτολύκῳ.
5. In Aristophanis Ranis versuum 1131 sqq. ordinem in codd. traditum verum esse censeo neque quidquam aut expungendum aut mutandum; verba ἀλλ' ὀλίγον γέ μοι μέλει Euripidis sunt.
6. In hymn. hom. 2, 361 verba depravata καὶ ἐμὴν ἰθύν τε μάλιστα audacius sic correxerim: καὶ ἐμὴν ἰθύνετε βουλήν.
7. In Antiphontis tetral. B α 2 verba τῷ δὲ ἀποθανόντι αὐτῷ μὲν οὐδὲν ἐνθύμιον, τοῖς δὲ ζῶσι προςέθηκεν corrupta puto; propono haec: τῷ δὲ ἀποθανόντι αὐτῷ μὲν οὐδὲν <ἐτιμώρησεν>, τοῖς δὲ ζῶσιν ἐνθύμιον προςέθηκεν.
8. In Andocidis orat. 1 § 133 Bekkerus recte voluit: οἳ διὰ τοῦτο ἔμοιγε δοκοῦσι συλλεγῆναι ἐκεῖσε, ἵν' αὐτοῖς ἀμφότερα ᾖ καὶ μὴ ὑπερβάλλουσι λαβεῖν ἀργύριον καὶ ὀλίγου πραθείσης μετασχεῖν.
9. In eiusdem orat. 3 § 38 verba λαθόντες δὲ Πελοποννησίους ἐτειχίσαμεν τὰ τείχη defendo.
10. In Moreti carmine, quod inter Vergiliana est, versum 56 sq. sic scripserim:

    Non illi suspensa focum carnaria iuxta
    Durati sale terga suis truncique gravabant (codd.: vacabant).

VITA.

Albertus Augustus Maximilianus Rannow a. d. IV Kal. Sept. 1862 natus sum in vico Stolpe prope Potsdamiam urbem sito patre Ottone pictore, quem praematura morte nuper mihi ereptum lugeo, matre Augusta e gente Schulz. Fidem profiteor evangelicam. Postquam parentes Berolinum migraverunt, in ludo quodam privato quem vocant primis litterarum elementis institutus autumno anni 1873 in sextum ordinem regii gymnasii Guilelmi, quod O. Kuebleri, viri humanissimi, auspiciis floret, receptus sum, ibique doctrina magistrorum mihi contigit optimorum ac sempiterna veneratione dignissimorum.

Maturitatis testimonium vere anni 1882 adeptum me cum Ernestus Curtius, vir praeclarissimus, numero civium universitatis Fridericae Guilelmae adscripsisset, quattuor deinde annos studiis philologis operam dedi per hoc quoque tempus omne admirabili multorum benevolentia adiutus. Atque in scholis me docuerunt viri doctissimi hi: Curtius, Diels, Dilthey, J. Droysen, Hirschfeld, Huebner, A. Kirchhoff, Paulsen, Robert, Scherer, J. Schmidt, Vahlen, Wattenbach, Weiss, Zeller. Praeterea ad exercitationes philologas per quater sex menses Huebnerus, ad epigraphicas per idem temporis spatium Kirchhoffius, ad theodiscas Schererus ter aditum benigne mihi concesserunt. Seminarii autem regii

philologi per quinque semestria sodalis fui ordinarius. His viris omnibus gratias semper agam candidissimas pioque animo eorum memoriam colam; imprimis vero Kirchhoffii et Vahleni benevolentiae quanta in rebus dictisque debeam paene me pudet profiteri.

Denique inde ab aestate anni 1883 sodalis fui societatis academicae philologae Berolinensis.

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF
CALIFORNIA

THIS BOOK IS DUE ON THE LAST DATE
STAMPED BELOW

AN INITIAL FINE OF 25 CENTS
WILL BE ASSESSED FOR FAILURE TO RETURN
THIS BOOK ON THE DATE DUE. THE PENALTY
WILL INCREASE TO 50 CENTS ON THE FOURTH
DAY AND TO $1.00 ON THE SEVENTH DAY
OVERDUE.

MAY 28 1936

YC 54805

U. C. BERKELEY LIBRARIES

C046209866

119378